DITHMARI HACKMANNI
PRÆCIDANEA SACRA,

SIVE

ANIMADVERSIONUM
PHILOLOGICO-CRITICARUM
AD
TEXTUM ORIGINALEM
VETERIS TESTAMENTI
TOMUS PRIMUS;
EXHIBENS
GENESIN, EXODUM
ET
LEVITICUM.

5
9
95



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud { CONRADUM ET GEORGIUM WISHOFIOS, } Bibliop.
MDCCXXXV.

16



VIRO DEI

PLURIMUM REVERENDO

ET

ERUDITE DOCTO

DITHMARO HACKMANNO,

IN

ECCLESIA REFORMATA

QUÆ

JESU CHRISTO

WALDÆ

IN

DUCATU MONTIUM

COLLIGITUR,

VERBI DIVINI MINISTRO

PRIMO,

ΧΑΙΡΕΙΝ ΚΑΙ ΕΥΠΡΑΤΤΕΙΝ.

DEDICATIO.

Non potui ſane committere, *Vir admodum Venerande*, ut diu animi penderem, cui hoc quicquid eſt opellæ, potiſſimum inſcriberem: quum neceſſitatem hanc amabiliſſimam, *Tibi* Eam dedicandi, dulce illud *Tuum nomen Paternum*, mihi Filio, Tui amantiſſimo, ſponte injungeret.

Cum enim *Pater* ſis, facile intelligo, nihil equidem Tibi poſſe unquam accidere jucundius tali nuncio, qui Filium Tuum aliquot abhinc annis, tum in *Germa-*

ma-

mmia, tum in *Belgio*, ſtudiorum gratia commorantem, non omnem plane temporis ſui jacturam feciſſe, ſignificet.

Accipe ergo *Indulgentiſſime Genitor*, primum hocce *Præcidaneorum meorum* ſpecimen, fronte ſerena: quod licet Tibi rude & impolitum obverſabitur, nec Tuæ Paternæ expectationi faciet ſatis; faxis tamen, ut *Illi* tantiſper ad Te aditus pateat, donec ſolidiora judicium meum maturius Tibi offerre potuerit.

Nec eſt cur omnem, de futura *Eorum* floridiori ſegete, ſpem abjiciam: ſi Tibi, jam longa vitæ ſpacia emenſo, ve-

vegetam ſenectutem & ſervare, & ad longiorem adhuc metam perducere, *Divina Bonitas* conceſſerit; quo quidem ut *omnibus Tuis*, ita præſertim *mihi* nihil lætius unquam evenire poterit, quo Tuæ in me Indulgentiæ & Curæ Θρεπτήρια diſſolvam.

Perſentiſco ſcilicet, altoque pectori penitiſſime inſedit, nihil à Parente Optumo in Filium haud immorigerum proficiſci poſſe, quod non ſit à *Te* largiſſime in me profectum.

Hujus ſanctiſſimæ obligationis memoriam & vivum ſenſum melius mihi fuerit in ſinu clauſum & conſecratum gerere,

quam

quam multo verborum ambitu, in publico prædicare.

Id tantum à Te indultum mihi velim, ut publice profiteri liceat, Te id, amore Tuo prolixissimo, effecisse, ut jam mihi Filio Tuo ingrato vivendum, moriendumque fiet: si nempe is ingratus dicendus sit, qui Beneficia rependere nunquam valeat; Atque de cetero tacitam venerationem Tibi à me rependi sinas, *Supremam* in eo *Bonitatem* imitatus *Illius*, cui inter gratiarum actiones Oris, solidissime tamen venerabundo Cordis silentio litatur.

Summum interim illud cœlis quod præsidet Numen supplex veneror; ut *Te amantissimum meum Genitorem*, rebus humanis diu adhuc superstitem esse velit, jubeatque; ut sic *Laborum Tuorum*, in Vineam Dei hactenus impensorum, uberrima *hisce in terris* Vindemia fruaris, Præmia autem apud *Cœlestes* recipias amplissima. Dabam *Leidæ* ipsis Idibus Januariis cIↄ Iↄcc xxxv.

Venerandi nominis Tui Paterni

obsequiosissimus

DITHMARUS HACKMANNUS.

PRÆFATIO.

Ex quo, duobus jam Seculis elapsis, cum renaſcente, magisque ac magis invaleſcente Eruditione, ad *Hebraicam* quoque *Literaturam* illuſtrandam, animum appulerunt, quibus Sacra Dei Oracula curæ cordique erant, dici non poteſt, quanta & quam felicia incrementa Illud ſtudium ceperit, quod antea in *Rabbinorum Scholis* deliteſcebat.

Ea tamen eſt, ut aliarum Scientiarum, ſic Hujus quoque natura ac conditio, ut novis identidem acceſſionibus vel lucis, vel gra-

tiæ mactari queat: ita ut quantumvis largam messem messuerint, qui falcem huic segeti admoverunt *Viri Egregii*, spicilegia tamen ea posteris reliquisse censeri queant, quæ ipsorum messem æquare valeant.

Hoc quum mihi in hæc studiorum spacia ingresso, ex diligenti lectione & lustratione Eorum, unde maxime proficiebam, primo adhæsisset, moxque altius auctoritate & monitu cordato ac prudenti *Maximorum* in hac palæstra *Virorum* insedisset, cum amore *Linguæ Hebrææ*, *Dialectorum* quoque

que addiſcendarum ardorem in pectore meo exoriri ſenſi, quod ad earum lucem opemque deprehenderem, multo profundius in *Interiora* hæcce *Sacra* penetratum eſſe à *Rabbinis*, *Noſtrisque*, earum gnaris, quam ab iis vel *Judæis*, vel *Chriſtianis*, quibus ad ea aditus vel non conceſſus, vel neglectus fuit.

Id eo accidit commodius, opportuniusque, quo mihi in *Illuſtri Bremenſium Athenæo*, auſpiciis ductuque *Summi Theologi* & *Philologi Conradi Ikenii*, licuerit eſſe tam felici, ut cum *Hebraicis*, reliquas *Orien-*

rien-

rientales Linguas imbibere contigerit, earumque flagrans desiderium, *Eximio* sub *Doctore*, me totum occuparit.

Hanc sitim mihi deinceps studiorum causa *Lugdunum Batavorum*, illam *Splendidam omnium doctrinarum Sedem*, delato, acrius accendit *Clarissimi Schultensii*, tum fidelis Institutio, tum prolixa in me Voluntas.

Hinc factum est, ut in dies facem, à *Tanto Ductore* & *Indefesso Divæ Literaturæ Orientalis Promotore*, mihi prælatam, quantum tenuitatis meæ ratio permiserat, presso pede sequerer. At-

Atque dum ita ſcintillulas aliquot mihi inter volutationem *Originalis Textus* emicaſſe exiſtimarem, hinc tandem nata ſunt hæcce mea *Præcidanea Sacra*; quæ ut non omnibus placitura forte, ita nec omnibus diſplicitura ſpero, & pro conatu tantum Incipientis in publicum emitto: quo quid effectum ſit, harum rerum intelligentes judicabunt.

His ſi ſtudium meum non plane improbari intellexero, *Alterum* ejusdem generis *Animadverſionum Philologico-Criticarum* mox dabo *Tomum*, ac poſtea quoque in eo ſtadio,

dio, Summo favente Numine, decurrere pergam, donec *integrum corpus Bibliorum*, haud absimili methodo, emensus fuero.

De cetero ita de me habeas, censeasque velim, *Benevole Lector*, me meliora Monenti gratum, & facilem, mea quoque Reprehendenti non difficilem, nec asperum, futurum; sed tum ab his, tum ab illis, *Veritatem* promto pectore recepturum, cui me, meosque conatus omnes dedicavi.

AD

AD

VIRUM

REVERENDUM AC ERUDITUM

DITHMARUM HACKMANNUM,

FILIUM.

HACKMANNE, ſacrae foeta mens ſcientiae,
Et inſolens virtutis exemplum, tuos,
Sublime pectus, impetu laudabili
Foecundioris ingeni foetus paris;
Teſtes ſeverae ſcripta diligentiae,
Latere nolens ſemper obſcurus tibi.
Macte hoc honore, quem juvat laboribus
Tot jam virorum conſequi plauſus piis,
Peritiaeque vera teſtimonia:
Nam ſive multum ſancta debet veritas
Tuo labori, more ſeu mortalium,
Fatoque naturae, [alter illa judicet]
Te cepit error, luſit aut opinio,
Non perſpicacis ingeni lancem tui
Auctoritatis pondere, [id vile eſt tibi]
Non Lexicorum mole firmatam, probas.

Felix, amice, contigit tibi dies,
Quaterque felix, cum tibi tantum jubar
Primum Batavo laeta procedens velut
Aurora coelo, jamque flammeas faces
Spargens per orbem, solis instar in die,
Prope intueri contigit multos super,
Cunctisque tincti sedulo linguis viri
Ab ore pendere, abditas Dei vias
Seu pandit aequâ fidus interpres lege,
Linguaeve sacrae pristinum reddit decus,
Ritusve narrat, integros soles datum,
Tantoque amici dulcibus colloquiis
Parentis instar in dies viro frui.
Hic te prementem spineas patrum vias,
Nigris tenebris atque luctantem diu,
Eduxit atrâ nubium caligine,
Puràque secum collocavit in luce.
Jam Daedalaeis doctus ire nubibus
Serenus alis, pulsus è nido, procul
Sequi parentem nisibus speras novis,
Supraque nubes ire, quod paucis datum,
Sublime coeli civis adfectans iter,
Ubi serenus aër, & nitens dies.
Non hîc tremiscis turpe livoris malum,
Et invidentis saeculi leves aves,
Quas imperita tollit in coelum cohors,
Cum semidoctae cuncta masculè crepant,
Et pondus addunt comparis nugis sui.
Ibi beatus diffidentes adspicis
Vultu sereno, quique dente te petit,
Temnis malignum, & obstrepentium gregem.
Macte hoc honore, perge sanctae paginae
Adferre lumen spiritu plenus sacro,
Supraque vulgum credere, [haud nefas tibi]
Amice perge, salva dum sit unitas,
Et dum recepta casta servetur fides.

ADRIANUS VAN WENA.

ANI-



ANIMADVERSIONES PHILOLOGICO-CRITICÆ IN GENESIN.

CAP. I. *Vers.* 2.

רוח אלהים מרחפת על־פני המים

§. I.

Digna, quæ recludatur, priſtinoque flori ac honori reſtituatur, facies nativa τȣ̃ מְרַחֶפֶת quod *part. foem.* exiſtit in *Conjug. Pihhel*, ſui ac non niſi *bis* recurrentis thematis רָחַף Id apud *Davidem Kimchium* in *Lib. Rad.* & *Mardochai Nathanem* in *Concord.* per נדנוד ותנועה *motionem* & *agitationem* reperio declaratum. Inde per *Lexica*, per

Verſiones, per *Commentaria* invaluit, firmasque ſatis radices egit *movendi* & *agitandi* poteſtas. Rationem ſi quæras! En Tibi *Forſterum*, cujus hæc ſunt meditamenta: רחף *motum eſt*, *agitatum eſt expanſione ſeu dilatatione. Et congruit ſignificatione cum verbis* פרח, ברה, רכב, רחב *niſi quòd ut litera & literarum poſitu, ita modo ſignificandi inter ſe differant.* Aliquid enucleatius jam dare voluit *Avenarius*, quum רחף proprie eſſe ſtatuebat: *agitatus eſt in aëre, perinde ut avis ſolet agitari cum dilatatione alarum, motatus eſt*; pergebatque: *cognationem habet cum* רחב *latus fuit. Hinc* ἐρέφω, ἐρέπω, ὀροφάω, ὀροφόω, κατερέφω *tego, circundo, ut ſi avis volitans in aëre & motans ſe circundat & obtegit pullos ſuos*, ἐπερεφὴς *altus, coopertus.* Idem placuit *Schindlero*, qui ita in *Lex. Pentagl.* רַחַף, *Chald.* רְחַף, *arab.* רַחַף *denotat* נדנוד ותנועה motus, commotus, agitatus fuit, movit, agitavit ſe *in* רֹחַב *latitudinem*; *ſicut aquila dilatatis & expanſis alis movetur & agitatur ſuper pullis ſuis, eos ad volandum exuſcitans & invitans.*

§. II. Sed quodnam fundamentum ſuſtinet nobis hanc *ſubſtructionem!* Lubrica nimirum illa & fallax admodum *alliterationis via*, ab omnibus, qui ſolida amant, derelinquenda, atque à ſacris hiſce procul habenda; neque *trium* diverſarum radicum diverſas *ideas* in *quartam* confluxiſſe, ſeſeque confudiſſe, ſibi perſuadebunt illi, qui ſpecie & colore præſtringi non ſolent. Mirum itaque non eſt, perſenſiſſe jam, qui Linguarum

guarum abditos meatus & recessus tentarunt, verum *fontem* Radicis רחף adhuc occlusum esse, qui non alia, quam certissima *Dialectorum Linguæ sanctæ* clavi, recludendus. Huic operi inspecie se accinxerunt in Literatura Orientali pervolutati Viri *Bochartus* *Hieroz.* P. II. L. II. *Cap.* III. & *Hottingerus Hist. Creat.* Cap. I. *Quæst* 32. & 33. atque ad eandem *alas movendi* potestatem, commendandam aliis ex *Arabiæ penetralibus* verbum رَفَّ רפף *palpitare*, in *Conj* IV. ارف דרפף *extendere* sive *expandere*, ejusque quadriliterum رَفْرَفَ cum *Talmudicorum* רפרף *motitare alas circum aliquid* conferendum, revocarunt, phrasique ارفت الدجاجة علي بياضها הרפה *gallina super ova sua*, h. e. بسطت اجناح *extendit* sive *dilatavit alas*, quemadmodum *Phiruzabadius* præstantissimus *Arabum* Lexicographus in *Camuso* suo jam exposuerat, confirmarunt. Digerat, qui potest, simulque adplicet. Ego saltem illud *alas movere* non fero, multo minus amplector. Licet enim magna *soni* æque ac *literarum* רחף inter & רפף sit *vicinitas*, multum tamen tum *usu*, tum *natalibus* inter se differunt. Omni præterea caret linguarum auctoritate, *Arabum* رفرف æque ac *Talmudicorum* רפרף *motitare alas*, ex *Hebræorum* trilitero רחף elisa gutturali ח & reliquis geminatis, excerptum, deque novo fuisse propagatum; quum revera nihil aliud sit, quam produ-

ctior forma radicis רפה *tert. rad. deficient.* cujus *Pibbel* tripliciter formari, atque רִפֵּה æque regulariter, quam רִפֵּף & רוֹפֵף per omnia tempora admitti, norunt etiam Elementarii; ac proinde non miraberis, quo pacto una in sede morentur צחצח صحصح & צחח صحّ, צלצל صلصل & צלל صلّ, קלקל قلقل & קלל قلّ, קרקר قرقر & קרר قرّ, גלגל جلجل & גלל جلّ, צפצף صفصف & צפף صفّ, aliaque bene multa.

§. III. Cl. *Kromayerus*, ubi in *Differt.* de *Rem. Obsc. voc. signif.* Cap. IV. *Specim. font. Script. S. apert.* præfixa, verbulo insinuaverat: *cognationem* ne inter omnes quidem *Radices dari*, sed potissimum inter *quiescentes* & *defectivas*; nedum inter reliqua *vocabula*, sic pergebat p. 29. *Inter perfectas non æque deprehenditur. Si enim e. g. Radicis* רחף *significatio indaganda esset, cognatio nil juvaret, cum non detur.* Et profecto *eam* nec hic circumspiciet is, qui *Linguæ Hebrææ* suam vindicare ditionem & quasi jurisdictionem vetustissimam, hoc est, qui themati רִחֵף genuinam nativamque apud *Arabes* sine ulla Elementi permutatione sub literis radicalibus رخف triplicem punctorum classem & رَخَفَ רָחַף

&

& رَخَفَ רָחֵף & رَخُفَ . רָחוֹף admittentibus

in hunc usque diem asservatam, frequentatamque potestatem, restituere conabitur. Hæ valent: *Admodum mollis, tener & tanquam liquefactus fuit præ mollitie*; quale quid in

رَخَفٌ sive رَخْفَةٌ *Butyro*, aliave رَخِيفَةٌ

mollissima ac manui cedente massa, sentitur. In IV. item *Conjug.* quæ τῷ *Hiphhyl* Hebræorum directe respondet أَرْخَفَ *mollem, teneram* atque *aquosam effecit, reddiditque, massam*; *fovendo* nempe, *fingendo*, *subigendo*, pro diversitate rei subjectæ, quemadmodum *Vir summus Alb. Schultens* in *Clavi Dialectorum* pag. 230. jam submonere coeperat. Si *Antonium Giggeium* in *Thesauro Linguæ Arabicæ* adeas, invenies quoque *Tom.* II. fol. 360. الرخف *Butyrum flaccidum & diffluens, nec recte congelatum*, itemque الرخفة *butyrum molle & diffluens*, exponi, indeque phrases العجين رخف *massa mollis & diffluens fuit*, ارخفت العجين *massam effeci & ob multam aquam fluidam reddidi*, صار الماء رخفة *aqua fuit lutum tenue*, sive *aqua in lutum tenue fuit redacta*, latine sonare, statim deprehendes. Hinc lubens jam agnosces, facile-

cileque mecum concludes, *Hebræorum* רחף æque ac رخف *Arabum* primario *molliendi*, *emolliendique* corporaliter gaudere ſignificatu; quem ſi tribus iſtis ſacræ ſcripturæ locis, ubi ejus haud obſcura remanſere veſtigia, inferamus, non parum luminis ac gravitatis, ſententiæ inde accreſcet.

§ IV. Illuſtri documento erit *Jerem*. XXIII. 9 רָחֲפוּ *omnia oſſa mea*. *Alexandrini*: ἐσαλεύθη. *Onkelos* ſimiliter זעו. Mentem explicuit R. *Salomo*: דולכים ונעים ככנפי צפור הכרחף על קנו *continuo movent ſe inſtar alarum volucris* המרחף motitantis ſeſe *ſuper nidum ſuum*. Sequuntur hoc recentiorum ferme omnes, *noſtrique*, niſi quod *Junius* & *Tremellius* ſenſu longe graviori cenſuerint: *Eliduntur*. Tu miſſis ambagibus loci faciem ſic pande: *Emollita ſunt*; & juſtiſſimam inter עצמה *duritiem*, quæ debet ineſſe עצמות *oſſibus*, & inter רחפרה *mollitudinem liquefactam*, corpus animumque ægritudine, moerore, pavore, conſternatione, aliisque turbationibus tabificis *exedentem*, atque *conſumentem*, habebis oppoſitionem. Quum enim *oſſa liquefieri inſtar ceræ*, aut *diffluere inſtar aquæ*, alibi rite dicantur, quidni etiam: *molleſcere ac emolliri* inſtar *maſſæ* nempe *butyraceæ*, aut *aquoſæ*, ad ingentem *virium* debilitatem expingendam, ita ut omnis quaſi ſuccus *liqueſcat* vitalis, ac ſponte *diffluatur*, in *oſſibus* adhiberi hic potuit! Sic ſane procedit *oratio*, & novo creſcit robore, cum *ſanctus* ſe non tantum conqueritur *fractum corde*, verum etiam *emollitum in oſſibus*, רחפו כל־עצמתי *frangitur cor meum*, נִשְׁבַּר לִבִּי

emolliuntur omnia offa mea, הייתי כאיש שכור *fum ut vir ebrius*, וכגבר עברו יין *& ut fortis, quem fuperat*, proprie: *quem tranfit vinum*; *fluminis* quafi adinftar, quod, quum *intumefcit*, altiusque fe efferens ipfos agros *diluvio* quodam *inundat*, haud ineleganter עבר *tranfire* Orientalibus audit

§. V. Singulari etiam gratia & venuftate fe commendat *Deut.* XXXII. 11. על־גוזלו ירחף LXX. hic edere fuftinuerunt: καὶ ἐπὶ τοῖς νεοσσοῖς αὐτοῦ ἐπεπόθησε. At deferuit eos *Vulgatus*, deditque: Sicut aquila provocat ad volandum pullos fuos, *& fuper eos volitans.* Alio adfpectu *Chaldæus*: על־בנוהי מתחופף. Hoc ex interpretatione *Rafchiana* eft: אינו מכביד עצמו עליהם אלא מחופף נוגע ואינו נוגע *non aggravat fe fuper eos, fed obtegit tangendo & non tangendo.* Nec alia poteft effe mens recentiorum, quocunque tandem modo verfionem efferant, five: *fuper pullos fuos movet*, five: *motitat fe*, five tandem: *incumbit.* Noftra autem *molliendi*, *emolliendique* fecundum proprietatem *Conjug. Pibhel* רִחֵף indubitata hic exhiberet origo: *molle reddidit*, *molle fecit incubando* & ad *maturitatem* quafi *promovit*; quemadmodum cum *ovis duris*, aliisque rebus *incubatur*, ut *fotu* quodam *mollefcant* & ad *maturitatem* quandam producantur. Verbum fane רחם *Arabice* رحم & رخم cui ex *dialecto*, *intimaque* τῶν בוכף *vicinitate*, amica cum noftro רחף رخف intercedit confpiratio, haud

haud obſcure ita transferri amat. *Origo*, ut conjicio: *molliter fovit* ſive *calefecit*, ſinu ſuo comprehendebat. *Secundarium* eſt רֶחֶם رَحْمٌ *uterus*, à *mollitudine*, ſive etiam à *molli* ſic appellatus *fotu*; item رُحْمٌ *affinitas*, *propinquus uterinus*; nec non رُحْمٌ *miſericordia*, *flexanimitas*, illa ſcilicet *uteri ac viſcerum* commotio, quam per σπλαγχνίζεσθαι à σπλάγχνον expreſſerunt Græci. *Primarium* autem θάλπειν, tum ex رحم cujus *Conjug*. I. direċte adfert: رحم عاـي البيضة *mollis eſt*, *molliter incumbit ſuper ova*; tum ex رخم cui in *Conjug*. IV. pulchre ſubjicitur لرخمت الدجاجة علي بيضها *incubando emollientem ſe præbet gallina ſuper ſua ova*, clare ſatis tralucere video. Analogia itaque conſtabit *Linguæ*, nihil trahens, quod tollere velis, ſi vertas: *ſuper pullos ſuos molli fotu incumbit*, puta ſcilicet, ut *mollefaceret* atque ad *maturitatem* perduceret quaſi, promoveretque. Hoc quadrare admirabiliter, apprimeque medium inter *præcedens* יעיר קנו & *ſubſequens* יפרש כנפיו occupare locum, utrumque rite excutienti haud obſcure pateſcet. Neminem etiam latere poteſt *ariſtam mollem* in haud abſimilem plane mentem *Virgilium* Poetarum principem extuliſſe Lib. III. *Eclog*. vers: 28.

Mol-

Molli paulatim flaveſcet campus ariſta.
Ubi cave *fertilem* cogites; *matureſcens* enim innuitur, quemadmodum *caſtaneas molles* pro *maturis* jam poſuerat *L.* 1. *vſ.* 82.

Sunt nobis mitia poma,
Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis.

§. VI. Ultimo tandem loco opportunitas hujus *notionis* ad noſtrum רוח מרחפת ſeſe quoque porriget. Sine controverſia רוח אלהים *Spiritum Dei*, πνεῦμα τȣ̃ Θεȣ̃, hic exprimit. At quem! *aërem ſubtiliorem* ac cæteris omnibus elementis *ſuperiorem*, dicunt alii, alii *conſilium* ac *voluntatem*, qua ad diſponendam adornandamque rudem indigeſtamque illam cœli terræque molem, *divinum numen* ſe accinxerat, alii alium. Cave *ventum elementalem* cogitare nos putes, quem ob *vehementiam*, qua ingentem illam aquarum copiam ultro citroque exagitarit, quodque in eum uſum à *Deo* miſſus fuerit, רוח אלהים dictum eſſe, *Hebræorum* aſſerunt plerique. Intelligo *Spiritum Sanctum*, tertiam *Deitatis* perſonam, quam ut *motitantem ſeſe*, maxima *Interpretum* pars, hic jam conceperat. *Joſuam Bar Aii* huic cenſui inſcripſerim, qui ita in *Lexico*, ſive verius *Gloſſario Syro-Arabico*: ܡܪܚܦܢܐ ܡܢ
ܪܘܚܦܐ ܐܝܟ ܗܝ ܕܪܘܚܗ ܕܐܠܗܐ
ܡܪܚܦܐ ܗܘܬ ܥܠ ܐܦܝ ܡܝܐ hoc eſt: מרחף *eſt à* רוחפא *ut cum dicitur: Spiritus Dei* מרחפא *ſuper faciem aquarum.* Quid enim in-

tellexerit ipse mox *Arabice* explicat per *verbum* يرفرف Hoc ex mente R. *Isaacidis* esset: ירפרף כיונה המרחפת על הקן *motitabat sese instar columbæ alas motitantis super nidum.* At aliud docere potuisset *Arabum* رخف aliud item *Syrorum* ܪܚܦ Utriusque genuina nos indoles ducit ad *incubantem*, *foventem* simul ac *emollientem* & *fœcundantem Dei Spiritum*, qui mundum rudem adhuc & suis quasi secundinis involutum excitabat, caloreque vivifico animabat, atque ad maturitatem quasi promovebat. In quam rem vestigia *Syri Interpretis:* ܘܪܘܚܗ ܕܐܠܗܐ ܡܪܚܦܐ ܥܠ ܐܦܝ ܡܝܐ & *Versionis Hebræo-Samaritanæ:* ࠅࠓࠅࠇ ࠀࠋࠄࠉࠌ ࠌࠓࠇࠐࠕ ࠏࠋ ࠐࠍࠉ ࠄࠌࠉࠌ relegisse, expositionemque *Ephraimi Syri* consuluisse, utile fuerit. Honorificam ejus injecerat mentionem *Basilius* in *Homil.* 2. *p.* 8. Πῶς οὖν ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος, ἐρῶ σοι οὐκ ἐμαυτοῦ λόγον, ἀλλὰ Σύρου, ἀνδρὸς κοσμικῆς σοφίας τοσοῦτον ἀφεστηκότος, ὅσον ἐγγὺς ἦν τῆς τῶν ἀληθινῶν ἐπιστήμης· Ἔλεγε τοίνυν τὴν τῶν Σύρων φωνὴν ἐμφατικοτέρον τὶ εἶναι, καὶ διὰ πρὸς τὴν ἐβραΐδα γειτνίασιν, μᾶλλον πως τῇ ἐννοίᾳ τῶν γραφῶν προσεγγίζειν· εἶναι οὖν τὴν διάνοιαν τοῦ ῥητοῦ τοιαύτην· τὸ ἐπεφερέτο, φησὶν, ἐξηγοῦνται ἀντὶ τοῦ συνέθαλπε καὶ ζωογόνει τὴν τῶν ὑδάτων φύσιν, κατὰ τὴν εἰκόνα τῆς ἐπωαζούσης ὄρνιθος καὶ ζωτικὴν τινα δύναμιν ἐνιείσης τοῖς ὑποθαλπομένοις. Nec minus laute *Augustinus*, cujus ad *versionem* vulgari usu re-

cc-

ceptam : *Spiritus domini ferebatur ſuper aquas*, hæc ſunt : *Secundum Syræ linguæ intellectum, quæ vicina eſt Hebrææ (nam hoc à quodam docto Chriſtiano Syro fertur expoſitum) non* ſuperferebatur, *ſed* fovebat *potius intelligi perhibetur, ſicut ova foventur ab alitibus, ubi calor ille materni corporis etiam formandis pullis quodammodo adminiculatur per quendam in ſuo genere dilectionis affectum.*

CAP. VIII. *Vers.* 17.

הוצא אתך

§. I.

Nulla eſt neceſſitas *lectionem textualem* הוצא ſecundum *Maſoretharum* criſin, quæ *margini* adſcribitur, in uſitatiorem היצא reformandi; quandoquidem omnia *verba* inchoata à י *jod* ex *Dialecto* præcipue *Arabica* etiam à ו *vaw* inchoari potuerunt : ita ut, cum *lingua* viveret vigeretque *Radix* וצא æque atque יצא manente una eademque poteſtate, extiterit; Unde in *Conjug. Hiphhyl*, cujus *imperativum* regularem ſimul & antiquum הוצא & היצא præ manibus habemus, ſecundum ipſam *verborum perfectorum* conditionem הוצא & היצא ἀνα-

λόγως

λόγως nascitur. Simile plane ac gemellum puto הושר Ps. V. 9. quod auctores τȣ̃ קרי nimis anxie regulis & formis usitatioribus inhærentes, itidem contra priscam linguæ indolem, quæ ex æquo & ושר & ישר eadem *recti* significatione, admittebat, in הישר commutarunt. Rem in oculos incurrentem, non est, quod pluribus illustremus: Non possum tamen quin in regula *Grammaticorum* nostrorum, qua edunt: *In Conjugationibus Niphhal, Hiphhyl, & Hophhal, nec non* ידה, ידע, & יכח *in Hithpahhel, primum* י Jod, *ex vicissitudine literarum* אהוי *mutari in* ו vaw *quiescens*, animum attendi jubeam, ad hanc, quam loquor, *dialectum*, & omnia habebis analoga. Qui enim à verbis פי absque ulla anomalia יירה à ירה *Exod.* XIX: 13. וייחל à יחל *Gen.* VIII. 12. מימינים à ימן 1 *Chron.* XII: 2. איסיר à יסר *Hos.* VII.: 12. יישרו à ישר *Prov.* IV: 25. aliaque complura formarunt, etiam reliqua ejusdem tenoris *verba* פו regulariter plane conjugasse, intelliguntur. Utique דהודע *Gen.* XLV: 1. & אתודע *Num.* XII. 6. veterem arguunt radicem, non ידע sed ודע *Arabice* ودع Similiter התודה *Lev.* XVI; 21. est à ודה *Arab.* ودي quemadmodum יתוכח *Mich,* V: 2. a וכח *Arab.* وجح

pro

pro وكج succreverat. Idem obſervari velim in הוסרו à וסר *Pſ.* II. 10. חורש à ורש ورث *Gen.* XLV: 11. הולד à ולד ولد *Gen.* XXI. 5. &c. &c. unde etiam ולד *Gen.* XI: 30. & ולד 2 *Sam.* VI: 23. exiſtit. Hoc paulo curatius ſi obſervaſſent *Buxtorfius*, *Waſmuthus*, *Hillerus*, alii, qui ad has metas ſudarunt, τὸ *Cetibh* הוצא ſecundum *literas* exhibere הוצא haud dubie pronunciaſſent nunquam. Ita enim Cl. *Stockius* veſtigiis præcipue *Danzianis* inſiſtens, diſerte ſcribit in *Clavi Linguæ Sanctæ* p. 465. הוצא *eſt pro* היצא *ex mente Maſorethatum*, perfectorum *formam applicantium*; *ſed quid impedit, quominus literis ſervatis, legas* הוצא *ſecundum uſitatam huic* imperfectorum *ſpeciei formationem*. At quid anxie definiunt, quod genius linguæ nullis terminis circumdedit! Haud ſane ridet æque *poſterius hoc* הוצא quam *prius* הוצא *analogiæ*, *punctationi*, veterique in Judæorum Synagogis receptæ *lectioni*, cui aliquid ſaltem auctoritatis deferendum eſt, ex amuſſim reſpondens.

§. II. *Educito* ſive *fac exire tecum*, vulgo vertitur. Nec male; quum illa indubitata τῆ יצא & יצא ſit poteſtas. Non tamen *illam* pro ſimplici *eductione* atque *egreſſione ex arca*, ſed pro *exitu*, qui ad *ſignatiſſimæ* ex ingenti periculo, quo reliqui omnes, quotquot per totum ter-

terrarum orbem disperſi fuerant, vitalem auram funeſtiſſime perdiderant, *liberationis*, *libertatiſque jucundiſſimæ fruitionem* ſimul tendat, acceperim. Hunc peculiarem uſum *Exod.* XII: 21. 2 *Reg.* X: 25. *Ezech.* XV: 7. locaque alia, quæ non exſcribo, egregie firmant. Firmat quoque id, quod mox *verſ.* 21. ſubnectitur: *Non pergam maledicere amplius terræ huic.* בעבור האדם non utique: *propter* (proprie *in tranſitione*, hoc eſt, *alicujus cauſa*) *Meſſiam* κατ' ἐξοχὴν ita appellatum, ut nonnulli voluerunt, nec etiam *Noachum* directe, ut alii maluerunt, ſed ſimpliciter *Adamum*. Hujus *poſteritatem* de novo quaſi per *Noachum* propagandam ſtatim intelliges, dexteritatemque inde *Chaldæi Interpretis*, cujus eſt: בדיל - חובי אנשא *propter iniquitates hominis*, haud obſcure ſenties. Senſus eſt, quem *Brentius* ſuo jam tempore acu tetigerat. Verba ſunt: *Si vellem ſemper humanum genus punire diluvio propter impietatem, tunc nunquam mihi à diluvio ceſſandum eſſet, quia totus homo in malitia poſitus eſt ab ineunte ætate.*

CAP.

CAP. XXV. *Vers.* 29.

ויזד יעקב נזיד

§. 1.

Apparet quidem *usus* formæ ויזד sed *origo* nondum comparet. *Kimchius*, *Nathan*, *Reuchlinus*, *Pagninus*, *Mercerus*, aliique tum *veterum*, tum *recentionum Lexicographorum* posuerant radicem נזד sed *coecam*, vel saltem *incompertæ* plane *potestatis*, indeque, quod melius nihil præsto foret ויזד pro ויזד ex ויזיד in *Conjug. Hiphhyl* scriptum esse docuerant, ac deinceps, ipsa *Orationis* serie invitante: & *coxit Jacobus pulmentum*, unanimiter exposuerant ferme omnes. *Expositioni* quod ad sensum subscribo; nec nego summa cum specie יזד pro conjugato τῷ נזד haberi. Vocalis tamen longa ִ *Kamets*, quæ sub י *jod præform. litera* residet, aliam potius radicem exigens, scrupulum aliquem movere potest. Non diffiteor quidem illam *derivationem* exemplis quibusdam defendi posse; sed si aliud commodius ad manus fuerit, *analogiam* anomaliæ, *veritatemque* conjecturæ, prætulisse tutius erit. Tutius proinde multo, multoque rectius à *Forstero*, *Avenario*, *Gussetio*, aliis, tum veteris tum recentioris ævi *Lexicographis* ad *the-*

thema quiefcens med. ו *vaw* זוד vel etiam *quiefcens media* י *jod* זיד itum fuerat; licet Cl. *Coccejus* admodum adhuc fit dubius, quamnam *derivationem* fequatur. Sic enim fcribit in *Lexico : Verbum* ויזד *eft tanquam à* זוד, *folent verba imperfecta inter fe permutare fua derivata, vel dicitur pro* ויזד *à* נזד.

§. II. Hanc autem dubitationem facile miffam feciffet *gravis* & *folidus Interpres*, fi *genuinam* & *effentialem* thematis זוד vel זיד perfpectam habuiffet fignificationem. *Dictionaria noftra* fi confulueris, ftatim tibi: *fuperbire, ferocire, protervum, infolentem effe*, majoremque adhuc *Linguæ Latinæ* copiam plena manu exhibebunt. At qui paulo altius in *natales, primævasque* vocabulorum *origines* inquirere mecum didicerunt; *aliquem* ftatim interiorem *Linguæ Hebrææ* defectum hic deprehendent. Inter *Grammaticos* etenim difputatur, unde *fuperbivit* Latinorum, unde *ferocivit*, unde *protervus* ac *infolens* fuit, originem duxerint. Sed detur nihil effe controverfi, & *fuperbire* à *fuper* & *ire*, inferta litera *b*, prout *ambire* ex veteri *am*, hoc eft, *circum* & *ire*, nec non *ambigere* ex *am* & *agere* componuntur; & *ferocire* à *feroci*, *ferox* autem à *fera*; *Protervus* à *pro* & *tero*; at *infolens* ab *in* & *foleo*, profluxerint; nemo tamen fanus inde concluderet, τὸ זוד vel זיד *Hebræorum*, eandem plane proprietatem, eundemque nativum colorem in fua *origine* poffediffe. Quæftio ergo eft & manet hactenus, unde iftas *ideas* derivarint; id eft, ex qua materia hos ufus *fecundarios* conformarint, quove jure fub

lite-

literis radicalibus זוד & זיד eosdem adoptaverint *Hebræorum* vetustissimi.

§. III. Non ſpernent, credo, æqui rerum arbitri, præſentiſſimam *Arabum* opem, quibus زَادَ זיד pro زَيَدَ זַיַד in *aquis ferveſcentibus* cum *tumore*, vel *tumeſcentibus* cum *fervore*, *geminata*, ut ita dicam, *idea*, corporaliter & primario, frequentatur. Haud abſimilem *Forſterus* & *Avenarius* ſibi jam formaverant ideam. Et prior quidem, *intumuit* primo, & deinde *efferbuit*, *ſuperbivit*, ex mera *conjectura*, cui quantum ſit tribuendum, nil dicere attinet, in ſcenam produxerat; Poſterior autem *efferbuit*, & metaphorice *intumuit*, *ſuperbivit*, *temerarius fuit*, *temere egit*, ex *Hebr.* נָזִיד, *Græcor.* ζυθός & ſieden/ aufſieden *German.* literarum captans affinitatem, quæ tanto fallacior ſæpe, quanto blandior, ſtatuerat. Atqui *geminatam* noſtram *ideam*, qualis in נטה نطا, in צדק صدق, in aliis, id ſi ageretur, longa ſerie pertexendis, clariſſime elucet, ex *Arabum* Dialecto, quæ cum *Hebræa* matre iisdem nititur radicibus, ponderoſioreque cæteris omnibus pollet auctoritate, cum voluptate hauſimus, à *Viris Doctis*, qui hanc palæſtram ingreſſi ſunt, procul dubio hauſtam jam atque commendatam, niſi caliginem quandam offudiſſent *Lexica*. Clariſ. ſane *Jacobus Golius* ſecundarias tantum in *Lexico* ſuo exhibuerat notiones. Habes ibi *fol.* 1125. زاد *auctus fuit* aliqua re; *auxit* ea

Deus;

Deus; *adjecit*; *addidit aliquid* rei; item *excessit* numerum; & absolute: *increvit*, & quoque *redundavit*. Scias tamen *postremum* hocce ad genuinam *Originis suæ* ideam, proxime accedere. Exemplum si requiras, en tibi luculentum ex *Georgio Elmacino*, qui *Lib.* III. *Hist. Sarac.* p. 289. scribit: وفي ايامه نقص النيل كثيرا فارسله المستنصر الي بلاد الحبشة بهدايا وتحف كثيرة فتلقاه ملكها وسجد بين يديه وساله عن سبب قدومه فعرفه ان نيل مصر قد نقص واضر بالبلاد وباهلها فامر ان تفتح السد الذي يجري منه الما الي الديار المصرية لاجل قدوم البطرك وزاد النيل في ليلة واحدة ثلاثة اذرع وتكامل النيل ورويت ديار مصر وزرعت *In diebus autem illius*, Patriarchæ scilicet Alexandrini Michaelis, *quamplurimum decrevit Nilus, ita ut Mustansirus illum in Æthiopiam mitteret cum muneribus & ornamentis multis; eique obviam venit Rex ejus, & cum reverenter eum excepisset, quæsivit, qua de causa eò venisset, & exposuit illi qui Nilo Ægypti aquæ penuria laborante, magnum terræ ejus & incolis damnum impenderet. Itaque obicem recludi jussit, ut aqua inde ad Ægyptios deflueret, propterea quod eò usque Patriarcha venisset*:

&

& נזד intumuit Nilus una nocte ad tria brachia, ita ut eo impleto, campi Ægypti irrigati atque consiti fuerint. Et qui minime hic prætereundus, est *Gregorius Abul-Pharagius*, cujus in *Hist. Dynastiar.* pag. 340. exstat: ولما ولي الحاكم الامر بمصر وكان يميل الي الحكمة بلغه خبر ابي علي بن الحسين بن الهيثم المهندس البصري انه صاحب تصانيف في علم الهندسة عالم بهذا الشان متقن له متفنن فيه قايم بغوامضه ومعانيه فتاقت نفسه الي رويته ثم نقل له عنه انه قال لو كنت بمصر لعملت في نيلها عملا يحصل به النفع في كل حالة من حالاته من زيادة ونقص فازداد الحاكم اليه شوقا وسير اليه سرا جملة من مال فارغبه في الحضور *Alhakem autem, cum Ægypto præfectus esset & scientiæ studio teneretur, audito de Abu Ali Ebno'l Haithem Geometra Basorensi, varios ipsum libros in Geometria composuisse, esse ipsum hoc in genere solidè ac multifariè eruditum, abditos ejus sensus perspectos habens, desiderio eum videndi affectus est; deinde*

 cum

cum narratum ei esset, illum dixisse, si in Ægypto esset, aliquid se circa Nilum facturum, unde in omni ejus statu, sive quum æstu increfceret, *sive* decrefceret, *commodum percipi posset, majori ejus studio flagravit, missaque ad eum clam magna pecuniæ vi, ut ad se accederet pellexit.* Notatu quoque dignum est, quod ejusd. *Hist. Dynast.* pag. 392. relatum legimus : وفي سنة اربع وخمسين ثامن ربيع الاخر كثرت الزيادة في الدجلة وخرج القورج فوق بغداد فامتلات الصحاري وخندق البلد ووقع بعض السور فغرق بعض القطيعة وباب الازج والمامونية ودب الما تحت الارض الي اماكن فوقعت واخذ الناس يعبرون الي الجانب الغربي فبلغت المعبرة عدة دنانير ولم يكن يقدر عليها ثم نقص الما فكثر الخراب وبقيت المحال لا تعرف وانما هي تلول فاخذ الناس حدود دورهم بالتخمين

Anno quinquagesimo quarto, die octavo Rabiæ posterioris multiplicavit sese admodum æstus in Tigride, & Kaurajo fluvio super Bagdadum erumpente impleti sunt campi & urbis fossæ, ceciditque pars mœniorum, submersa etiam parte Alkatiæ & Babo'lAzaji, & Almamuniæ; a-

qua

quâque sub terrâ in locis quibusdam serpente, collapsa sunt (loca ista). Cumque coepissent homines ad partem occidentalem transire, multis aureis redimendus erat ponto, nec obtineri poterat; at subsidente aqua magnæ secutæ sunt ruinæ, nec dignosci poterant vici; cum nihil aliud essent quam tumuli, & limites ædium suarum conjectura metiebantur homines. Illustrem, altiorique adhuc, quem *Psalmographus* in *Ps.* CXXIV. induerat, cothurno, pulchre respondentem figuram, hinc lubens recognosces. Dicitur ibi *vers.* 5. *Tunc* עבר *transiit* h. e. transierunt *animas nostras* המים הזידונים. Interp. LXX. hic viderunt: τὸ ὕδωρ τὸ ἀνυπόστατον. *Aquila* autem captavit: ὡς τὰ ὕδατα ὑπερήφανοι. Recesserunt non nihil *Symmachus* & *Theodotion*, quorum est: τὰ ὕδατα ὑπερήφανα. In vicinia stat *Hieronymus*: *aquæ superbæ*. Nec alia cæterorum ratio. Ad *intumescentes, æstuque interno furentes aquas* traheret me *Verbi* potestas; quorsum etiam ipsa *Orationis* series aperte ducit, quæ gravissimam à *fluvio intumescente, altiusque se efferente*, atque *ripas ipsas transcendere meditante*, ductam in themate עבר condiderat metaphoram. Ex interiore enim Linguæ usu, hanc peculiarem τὸ עבר *transire* apud Sacros Profanosque scriptores, induere ideam, Hebraice gnaro ignotum esse, nequit, & uti verbulo id à me superius pag. 7. jam insinuatum fuit, ita quoque, si non planius, plenius saltem, idem, alias declarabimus.

§. IV. Nunc quod instat; ubi monemus, *necessarii luminis hujus* defectu, *fervorisque* ac *tumoris*, quem prima mundi ætas τῷ זור jam inseminaverat, ignoratione, ad τὸ יזיר non solum, verum etiam, ad τὸ statim subsequens נָזִיד rite enucleandum, præcipue quum *illud*, neque ad *prius*, neque ad *posterius*, secundum receptam *superbi*, *ferocis*, *protervi* ac *insolentis* notionem, ullo modo quadraret, incognitum in Bibliis *thema* נזר à *Kimchio* fortean arreptum primò, subque cognita *coquendi* idea, commendatum fuisse posteris, haud immerito, nobis quidem, videri. In *Linguæ Hebrææ* genuina Dialecto, *Chaldæa*, aliave si extaret, *roboris* equidem & *firmamenti* aliquid haberet; at nullam *earum* tale quicquam præferre videmus. Ingeniosissimum interim videmus *Neumannum* in *Exod. Ling. Sanctæ* p. 28. velle: נזיד à נזר *proprie* & *vi Charact.* & נ & ז & ד *propagationem motus protrudentis*, vel *anteferentis*, *qualis in intumescentibus* vel *effervescentibus*, *ebullientibus*, & metaphorice loquendo *in superbientibus* esse solet, exprimere. Ipsa in Literarum *figuris*, earumque diverso *adspectu* ac *situ* fundata *hypothesis*, hæc est: *propagandi* notionem *literæ* נ domesticam esse, aut si in summa latitudine accipiatur, significare eam: *ab uno ad aliud*; ז autem *motum antrorsum promoventem* vel *protrudentem vehementiorem*, suo ambitu continere; ac denique ד symbolum *motûs*, *qui rem aliquam protrudit in partem*

tem adverſam ſucceſſive ſemper atque continue, ſiſtere. Quæ ſi cuiquam *veri* inveniendi, divinandive blanditur via, non intercedo; mihi ſaltem *ea* à *genio* omnium linguarum nimium quantum abhorrens, præterque mirificam quandam ſubtilitatem *nihil* habens, quo ſe ſuſtineat, ad præcipitium ferre videtur. *Clariſſimo* etiam *Guſſetio* plane aliud hic ſedet. Ita ille in *Comment. Ling. Hebr.* ubi notionem *elationis undarum* ſub *them.* זור amplexatur primariam, tradit pag. 226. *Ad ſenſum illum phyſicum* elationis undarum *referetur facilè abſque anomaliâ Grammaticâ* וַיָּזֶד *Gen.* 25: 29. *quod accipitur ut poſitum pro* וַיַּזֵּד *rad.* נָזַד *Eò trahit nos quidem ſequens* נָזִיד, *ſed non neceſſario. Nam dantur ſæpè radices diverſæ quoad imperfectiones, ſenſu interim ſimiles. Quin & poteſt* נ *eſſe* ſervile *in initio, ut in* נַפְתּוּל. *Sic fiet non modo* coctio, *ſed* modus coquendi peculiaris, *quo jus intumeſcit, & res cocta rarior, non condenſata, gratior eſt. Nam in illa hiſtoriâ* נָזִיד *non eſt* res cocta, *quippe quæ vocatur* עדשים *in* vs. 34. *Sicque vox altera* נָזִיד *commode erit* modus ipſe coquendi, *& ad hanc radicem* זור *opportunè reducetur.* Ἐτυμολογίαν limpide ſatis *fluentem* religioſe teneo; at munuſculum *peculiarem coquendi modum*, adferens, *Viro Docto* lubens redono, Formalem *elationis undarum* ſignificationem volens quoque redonarem, niſi *eam* extra omnem dubitationis aleam jam collocaſſet, non utique, ipſe

ipſe *literarum ductus*, aut *earundem* quæque ex *Græca*, *Germanicaque* lingua, arceſſita *ſimilitudo fortuita*, nec ſpecioſiſſimum etiam *conjectandi acumen*, quod unicuique ſuum ſuggerit ingenium, ſed *Hebraicæ Dialecti*, ſive *propago*, ſi *antidiluvianam linguam* jam ante *Heberum*, ſic appellare placeat, ſive *ſoror*, ſi eandem ab *Hebero* conſervatam, & ad poſteros, per *Phalegum* quidem ad *Hebræos*, per *Joctanum* autem ad *Arabes*, transmiſſam, concipiamus. Hanc itaque ſi audias, ויזד Latine ſonaret, ex *Kal* quidem: *& decoxit*; ex *Hiphhyl* autem: *& cum fervore intumeſcere fecit Jacobus* נזיד *id* ſcilicet, quod ex ערשים *lentibus* per *ebullitionem coquebatur*, vel *iisdem* ſaltim *immiſſis*, *decoquebatur*. Perfecta enim phraſis נזיד ערשים quam ſeriei huic, ad clariorem mox intellectum, vs. 34. innexam vides, utrumque incluſum tenet. Eſtque proinde τὸ נָזִיד *forma* proprie *adjectiva*, ex *Conjug. Niphhal* radicis זִיד abſque ulla anomalia, derivata, quæ *defervitum*, hoc eſt, *decoctum* primò, ac deinceps, uſu latius extenſo, quodcunque *juſculum*, *itinerisve edulium*, abſolute, expreſſerit. In *Arabum* زاد pro زود haud abſimile quid admiſſum eſſe, ex *Elegantiſſimo Haririo* condiſco, qui in *Conſeſſu primo*, cui الصنعانية *Sananenſis* nomen, ſic ait: ترغب عن هاد تستهديه الي زاد تستهديه *Deſiderium avertis à duce, quem rectam viam roges, ad viaticum quod corroges.* Apud

Boha-

Bohadinum filium *Sjeddadi* idem quoque invenio. Is in *Vita & Rebus Gestis Sultani Saladini Cap.* XI. p. 79. ita : ثم نادي في الناس في اواخر الشهر انا داخلون الي الساحل وهو قليل الازواد والعدو يحبط بنا في بلاده من ساير الجوانب فاحملوا زاد شهر *Pronunciavit deinde, oram maritimam sese ingressurum; quamvis tenuissimus esset commeatus, hostisque suis in terris nos undique circumcingeret. Cibaria in mensem modo assumta.* Unde jam *thema* ipsum, quod in *Conj.* II. dat زوّد *pro commeatu & viatico assumpsit* quid; *providit, prospexit de itineris commeatu, eo instruxit*; item in *Conj.* V. تزوّد *prospexit sibi de commeatu viæ; sumpsit eam; comparavit sibi*; cum suis derivatis مزود & مزواد in hasce *secundarias*, à primaria *effervescendi* & *intumescendi*, quam cum زاد pro زيد *med. Je*, communem habebat, devenisse notiones, facile mihi persuaderem. Ut adeo singulari acumine, uno Orationis halitu & ויזד & נזיד heic vigeant loci, primævamque unius ejusdemque *radicis* זוד vel זיד potestatem eleganter exserent.

§. V. Ex hisce via aperitur munitissima, ad ebullientem, *inflatum* ac *tumentem animum*, quo quis arroganter, superbe, insolenter ac proterve in

 facta,

facta, *verbaque*, contra alium prosilire tentat, paulò *fortius* expediendum, atque stirpi suæ *elegantius* multò innectendum. *Tumorem fiduciæ* & *audaciæ* in *arma* erumpere, *Martemque* ciere gestientem, facile agnoscas *Deut*. I: 43. *Sed rebellavistis præstituto Jehovæ*, ותזידו *quum intumesceretis animis succensis, montemque ipsum adscenderetis*; hoc est: quum vos non detumescentes, animo fidente, vigorisque bellici pleno, ad Martis aleam pro causa Dei subeundam, in arma ire atque erumpere inciperetis. Hoc cum præced. לא תעלו *non adscendite*, h. e. bellicam expeditionem, animo æstuante, non suscipite, intimius cohærere, abunde patet; metaphoramque à *mari undoso*, quod *tumescere* dicitur ac *effervescere*, quum *fremere* cœptat & *tempestatem* fluctibus *æstuantem* minatur, commode fuisse translatam, *neminem* quoque latere potest. *Rem* & *rei colorem*, sub طغا & بغا ejusdem cum زاد ferme potestatis, judiciose conjunxit *Arabsaides* in *Hist. Tamerl.* p. 13. فوصل تيمور وجماعته الي جيحون وكان اذذاك مثلهم طاغيا *Pervenit autem Timur & turba ejus ad fluvium Gihonis, qui tunc temporis erat, ut illi, exundans*, inque *altum excrescens*, كان شبيههم باغيا *erat ad instar illorum, fervore intumescens*.

Allusit quoque *Arkela Damascenus* apud *Abulphedam in Hist. Univers.* de *Sjyrçouho*, *neceque Sjawari*, inter alia, canens: هو

هو الاسد الضاري الذي جل خطبة
وشاور كلب للرجال عقور
بغي وطغي حتي لقد قال صحبه
علي مثلها كان اللعين يدور ۞

Is Sjyrcouhus *acer in prædam Leo eſt, multo formidoloſiſſimus,*
At Sjawarus canis infeſtus & mordax eſt,
Tumidus, effervescens; adeo ut ipſi dicerent comites:
Tali ſpecie Satanas maledictus circumcurrit.

Nec multum abludit, quod *tumeſcere bella* dixerit *Virgilius Lib. I. Georg.* vs. 165.

Ille etiam cœcos inſtare tumultus
Sæpe monet, fraudemque & operta tumeſcere bella.

Et *tumere* in iis, qui *ſeditionem moliuntur, turbaſque agitant*, ad arma diis inferenda, à *Valerio Flacco* L. I. *Argonaut.* vs. 199. elegantiſſime teratur:

Sed non ſponte feror, nec nunc mihi jungere montes
Mens tumet; aut ſummo depoſcere fulmen Olympo.

§. VI.

§. VI. Cognati eſt coloris *Jerem.* L: 29. *Ponite caſtra contra eam circumquaque, ne ſit ei effugium* &c. *Nam contra Jehovam* זָדָה *ſuperbivit*, vel *ferociter egit.* Sic paſſim *Interpretes.* Aliter *Chaldæus*: אמרת מלין דלא בשרן *locuta eſt verba non decentia.* Nervus autem apparebit & aculeus, ſi ſupponas: *intumuit*; in ſtrenua nempe verba, factaque militaria erumpere geſtiens אל קדוש ישראל *contra Sanctum Iſraelis.* Ejusdem artificii eſt, ſed majoris adhuc ſplendoris *Exod.* XVIII: 11. *Nunc cognoſco, magnum eſſe Jehovam præ omnibus Diis*, כי בדבר אשר זדו עליהם *ea ipſa re qua ſuperbiunt, ſuperiorem eſſe illis.* Ita *Junius* & *Tremellius.* Alii hoc ſenſu: *Propterea quòd ſuperbè egerunt contra eos, voluit quoque Deus ſe magnificum oſtendere contra Ægyptios.* At *Iſidorus Clarius* paulo concinnius: *eo quod in re quâ ſuperbè & inſolenter egerant contra eos, Deus illis rependerit.* Idem jam tentaverat *Arabs Erpenianus*: لان عاقبهم الله بالامر الذي توقحوا به عليهم *Nam punivit eos Deus eadem in re, quâ ſuperbe & inverecunde egerunt contra illos.* Haud abſimili modo *Onkelos*: ארי בפתגמא די השיבו מצראי למדן ית-ישראל ביה דננון *quâ enim re cogitarunt Ægyptii judicare Iſraelem, eadem ipſi judicati ſunt.* Breviter ſed ſolide mentem explicuit *Fagius*: *Vult dicere, quemadmodum ipſi pueros Hebræorum aquis ſubmerſerunt, ſic quoque*

&

& ipsi aquis submersi ac suffocati sunt, Deo scilicet eadem mensura remetiente illis, qua ipsi mensi fuerant filiis Israel. In Hebræo hæc sententia breviter & concise effertur, sic כי בדבר אשר זדו עליהם *quoniam eadem re, qua superbe agebant in eos sub. perdidit eos.* Par & consona vox aliorum: nec tamen *illud* omne, quod in interiore recessu *Hebraismi* continetur, satis fuit perspectum; qui absque ullo *supplemento* sic resonaret: *quoniam illud ipsum, quo inflammati ira intumescebant* ad puerulos Israelitarum perdendos, *super iis graviter incumbit.* Sic illud עליהם quod turbabat *Interpretes*, sumendum autumo; rationem alias redditurus. In *Hist. Timuri* est pag. 93. زاد عبثا وفسادا *efferbuit in noxis inferendis & grassando.* Dicitur etiam *ejusd. Hist.* pag. 348. يغبران علي البلاد ويزبدان في الشرور والفساد *hostili animo excurrebant ambo in oppida, atque effervescebant fluminis ad instar omnia inundantis, maleficiis ac grassationibus.* Decus *Arabismi* vel *Hebraismi* non semper aliam in linguam æque commode transfundi potest. Ipsa illa *Latinæ Linguæ* ubertas, sæpiuscule nos deserit, neque ad Orientalium *ideas*, vocumque *Originationes* rite exprimendas, suisque coloribus ad vivum depingendas, simile aliquid suppeditare valet continuo. Antecedentia & consequentia *rem dubiam*, hoc est, an in *malam, bonamve partem τὸ* زاد manente una eademque *Origine*, accipiatur, luce meri-

ridiana clarius, ſtatim declarabunt. Nihil *mali*, quod tollere velis, hocce trahit *Abu Iſmaelis Tograi*, vs. 22.

قد زاد طيب احاديث الكرام بها
ما بالكرايم من جبن ومن بخل ❀

Utique tumefacit, adauget cum quadam honoris mole, *gratiam ſermonis liberalium virorum de ea*,

Quæ eſt *in honoratis fœminis modeſtia & frugalitas.*

Variavit venuſte ferox illud & indomitum *Victi* in *Victores* ſuos, cujus mentio fit in *Hamaſa*, id eſt: *Virtute Bellica*, libro, qui in fortium Virorum facinoribus celebrandis potiſſimum verſatur, ſic inſultantis:

فما زادني الا سناء ورفعة
وما زادكم في الناس الا تخضعا ❀

Non alio hoc me mactavit, quam ſplendore & gloria:
At vos id inter omnes mactat dedecore.

CAP.

CAP. XXVII. *Vers.* 3.

צודה לי צידה

§. I.

Crisis *Marginalis*, secundum quam litera ה *vocabuli* צידה *redundat*, ex angustiis, quibus *Lingua Sancta* post captivitatem Babylonicam jam tum cœpit laborare, ita ut cuncta, ut nunc ferme sit, ex *reliquiis Biblicis*, ubi *Venatio* semper est צַיִד metiri voluerint, orta equidem mihi videtur. Nullum enim iis, qui veritatem recipere amant, potest esse dubium, quin *Hebræorum* veteres, lingua adhuc vivente ac florente, *venationem* æque commode per *fœmininum* צֵידָה vel צִידָה quam quidem per *masculinum* צֵיד formæ פֵּיד à Rad. צוּד vel צִיד efferre potuerint. In *Masora* saltem *Parva* ad h. l. relatum legimus, *R. Nachmanem* non utique ציד sed צידה temporibus jam *Masoretharum*, pronunciasse. Verba sunt: ה׳ יתיר׳ אבל פלוגת׳ דרב נחמן והיא חד מן כ״א תיבין כתי׳ ה בסוף תיבות׳ ולא קר׳ hoc est: ה *redundat*; *sed dissensio est R. Nachmanis. Est autem hoc unum ex* 21. *vocibus, quæ scribuntur per* ה *in fine, sed non leguntur*. Doctissimus Grammaticorum *Danzius* huc

huc oculos conjiciens, in *Literat. Ebræo Chald.* p. 72. inquit. *Nihil obstat, quo minus* צֵידָה *legeris*; *quod significatione cum* צַיִר *coincidit. Proprie utrumque* venationem *denotat: mox* rem captam, *quæ olim sæpius iter, per loca imprimis inculta & saltuosa facientibus*, commeatus *præstabat vicem*.

§. II. Placebit ni fallor, illud *fœmininum* in צידה neque jam otiari amplius censebitur. Verum longe fortius quid ac suavius hic tralucere video, quod apertissimum reddetur, atque in oculos statim incurret omnium, si τὸ צידה in צַיִד *masculinum*, & ה *paragogicum*, sive potius *emphaticum*, resolvamus. Hoc enim *potestatem* nominis, qua *masculini*, qua *fœminini*, cui à *fine* affigitur, *graviori* tum *pronunciatione*, tum *augustiore emphasi* induere, in literis nostris vel leviter trito, ex pervagatis hisce: נחלה *torrens rapidissimus Psalm.* CXXIV: 5. לילה *nox mœrorem, metum & pavorem incutiens Exod.* XII: 30. ישועתה *omnimoda salus Ps.* III: 3. ביתה *domus excellens Esr.* V: 3. צרתה *maxima angustia Ps.* CXX: 1. מותה *mors acerbissima Psalm.* CXVI: 15. &c. &c. &c. obscurum amplius esse nequit, neque est quod quemquam in re liquida hæsurum esse subverear. Non male tornatum hinc exibit dictum: *Venare mihi venationem optimam, egregiam*; id scilicet, quod in unaquaque, secundum substratam ma-

materiam, principem locum occupare mereatur. Hac itaque ratione, non צדה vel צדה sed צידה juxta literas, sonuerim. Ubi jam nihil *paradoxi* ac *insolentis* oggereret, qui צידה illud, sola *Masoretharum* auctoritate, per *puncta vocalia* τῷ ציד foetum simul, simulque in צידוה mutatum, atque ad posteros propagatum esse, contenderet. Mentem habes eandem apud *Arabem Erpenianum*, cujus est: اصطد لي صيدة h. e. אצטד לי צידה; licet anceps sit & involutum, an *genus foemininum*, an vero *statum emphaticum*, expresserit! Posterius si arriserit, nil quicquam *Arabismo* inde decedere, deprehendes. Quod enim in كريمة כרימה admissum, idem quoque in صيدة צידה haud invito *Linguae* genio, admitti potuisse, nemo homo negaverit. Fundus mihi est *Phiruzabadius*, qui كريمة aeque de *viro*, quam de *foemina generosa*, usurpari, & كرمة sive كريمة *idem* valere atque كريم nisi quod prius الها لمبالغة *litera* ה *auxeseos nota*, auctum, fortius quid, quam simplex posterius, pro diversitate rei subjectae, sonet atque exprimat, in قاموس *Camuso* id est *Oceano suo*, jam observaverat,

C CAP.

CAP. XXXVII. *Vers.* 36.

סרים פרעה שר הטבחים

§. I.

Mirantur *Veterum* & *Recentiorum* nonnulli, quomodo *Potiphar*, qui סָרִיס Σπάδων seu Ἐυνοῦχος *Pharaonis* commemoratur, simul quoque שַׂר הַטַּבָּחִים *Princeps Coquorum*, aut *Satellitum*, esse potuerit; cum ad omnia ista munia *castratorum hominum genus*, ut vile, molle & effœminatum, minus aptum atque idoneum esse videatur. Ad hæc breviter sed solide *Paulus Fagius*, tum in *Succinctis annotationibus super Paraphrasin Chaldaicam*, tum in *Tralationum præcipuarum Vet. Test. inter se variantium Collatione*, respondet hoc modo: סרים *Hebræis non semper significare* Eunuchum castratum, *cui plane exsecti sunt testiculi*, *sed & aliquando* שר וממונה hoc est: *principem & præfectum.* Fundamentum si quæras! En Tibi *Christianum Ravium*, qui in *Orthographiæ & Analogiæ Ebraicæ Delineat*: p. 23. ita: סרים *vox credita Persica sed eadem cum* שַׂר *in fine cum* ס *vel* שׁ, *ut* Tîr, Tiris, *unde* Tigris, Darâb, Darabis, *unde* דריוש Darius, *sic* Schîr *& alibi* Schâr, Schirisch *&* Scharish *non notat* Eunuchum, *sed sim-*

ſimpliciter Dominum; *ex Perſiâ etiam nomen illud pervenit ad Ægyptios, uti erat inter utramque gentem avita cognatio & frequentiſſimum commercium belli & pacis.* Oculos in *Ægyptiorum* ſive verius *Coptitarum* ΠΙCΚΟΥΡ & ΗΑΝCΙΟΥΡ, ut conjicio, conjecerat; quorum *prius* in *Scala Magna* h. e. *Nomenclatore Ægyptiaco-Arabico* p. 162. per الخصي *caſtrationem*, *eunuchum*, *poſterius* autem in *Scala Electa* ſive *Lexico Ægyptiaco-Arabico Abu-Iſhaak Ebnolaaſſalis* p. 405. per خصيان *eunuchos*, *caſtratos*, Arabice declarata, invenies.

§. II. Non feciſſet forte *inſignis* ſui ævi *Philologus*, modo curatius paulo attendiſſet, ſupponi magis, τὸ סריס in *Veteri Dialecto* ex סר & ס extare conflatum, quam probari, amicamque tantum *Coptitarum* CKOYP aut CIOYP inter & *Perſarum* سر linguarum nihil alias commune inter ſe habentium, intercedere *ſoni* ac *literarum*, fortuitam conſenſionem, deprehendiſſet, adeoque *quæſtionem* eſſe, atque jure merito manere hactenus, *Coptitæne* illud à *Perſis*, an vero *Perſæ* à *Coptitis* mutuo ſumſerint, inque ſuam linguam adoptaverint, obſervaſſet. *Johannes* ſaltem *Forſterus* ad poſterius aſſertum inclinaſſe, videtur. Sic enim ſcribit in *Dictionario* ſuo *Hebraico* p. 558. סריס *nomen peregrinum, ſeu Ægyptium eſſe cenſeo, quo is eſt appellatus, qui Regi à negotiis aulicis fuit perficiendis, maxime autem curandis cubiculis.* Ego hanc litem meam

meam non facio, atque rem in medio relinquo. Id tantum dicam, neque tutum videri satis, neque fas esse, peregrinas istas *Persarum* & *Coptitarum recentiorum* auctoritates, *Rebus Hebraicis*, à quibus immani, *Europæam* alterâ, alterâ *Græcam*, præ se ferentibus *Originem*, *Indolemque*, diffident intervallo, inseruisse, earumque clavi, lumineque, veterem & veram *Linguæ Biblicæ* faciem reclusam atque collustratam, dedisse. Monere quoque debeo, rem & rationem, meo quidem judicio, exigere potius, *vocabulum ignoratum* relinquere intactum, atque simul inculcare, in *Genuinis Linguæ Orientalis Dialectis*, Linguis *Coptitarum* & *Persarum* ad censum *Linguarum*, quæ *Orientalium* nomine salutantur, proprie non pertinentibus, investigandum esse, num forte ibi, *propriæ* τȣ̃ סרים *natales*, cum opportuno significatu, quum plusquam verisimile sit, vivente ac vigente *Re Hebraica*, verbum *radicale* סרס extitisse, conservatæ fuerint.

§. III. Tale utique, *Arabum* سرس simul, simul *Syrorum* ܣܪܣ nec non סרס *Chaldæorum*, exhibere potuisset. Huc *Doctiss. Hottingerus* in *Smeg. Orient.* & qui ejus vestigia ingressus est *J. Frid. Nicolai* in *Hodegetico Orient. Harmon.* respexerant, τὸ סרים ad *Arabum* سَرِسَ סָרַס cui: *ad venerem impotens fuit*, subjacet, revocantes, indeque, quod nihil liquidius præsto foret, Εὐνȣ̃χον sive *Lecticustodem*, propagantes. *Clariss.* tamen *Cellario*, *Majo*, aliis,

qui-

quibus, haud dubie, hoc ipsum lumen *secundarium* & aperte nimis, ab ipso *Eunucho* formatum, jure videbatur, *Chaldæorum* סרס *castravit*, *evulsit*, *extirpavit*, pro *primario* assumere placuit. Id melius crediderim, nisi, luce meridiana clarius constaret, hanc quoque Conjugationem *Pahhel*, itidem ex סריס *castrato*, quasi dicas: *castratum reddere* aliquid, eodem plane modo, quo *Græci* suum εὐνουχίζειν ab εὐνοῦχος, & σπαδωνίζειν à σπάδων, formarunt, quod ad significationem, esse productam, assumtamque. Quid ergo jam stricte & pressim סרס repræsentasse dicemus! Est ne εὐνὴν ἔχειν! unde *Eunuchus*. Est ne σπᾶν! unde *Spado*. Est ne καστειρᾶν ex καταστειρᾶν à στειρεῖν contractum! unde verosimiliter *Castratus*. Quis mortalium quæso, hanc dubitationem absque liquidissima *Dialectorum* luce, missa veluti sorte, decernet! Fieri enim facile posse, ut nulla harum *Idearum*, genuinam *stirpis Hebraicæ* indolem attingat, quilibet prudens mecum non negaverit. *Rabbinorum* si aliquo hic stat modo, valetque *auctoritas*, (quibus *Thema* סרס in *pervertendi*, *transponendi* ac *contorquendi*, haud est incognitum, *potestate*, atque de *infante*, qui non *modo recto* & *ordinario*, sed *inverso*, ex *utero materno* egreditur, veluti *pedes* primùm *emittendo*, aut oblique *manum*, aut aliter, speciatim יצא מסורס *egressus est contortus* sive *inversus*, in *Cod.* נדה *fol.* 28. *col.* 1. dictum invenimus,) τὸ Σπᾶν, quod *Græcis* tritum, tum pro *vellere*, tum pro *contorque*-

re, peperit σπασμὸν, *Primarium* dixerim; indeque סרים *Arab.* سريس & *Syr.* ܣܪܝܣܐ à כרך *vellendo* & *contorquendo*, eodem ferme fundamento, quo *Spado* ἀπὸ τῦ σπᾷν, cui scilicet *evulsi* non solum κρεμαςῆρες, verum etiam, cui *distorti* pendent atque *collisi*, qualis *Thlibiæ* ἀπὸ τῦ θλίβειν, aut *Thlasiæ* ἀπὸ τῦ θλᾶν, apud *Ulpianum* de *Verbor. Signif. Lib.* CXXVIII. continetur nomine, dictus fuerit, appellationem suam hausisse, putaverim. Sed nihil cupide.

§. IV. Submoneo interim, ne *significationum* diversitas, quam in *Lexicographorum* & *Interpretum* scriptis, per *Eunuchum* & *Aulicum* passim, passim per *Spadonem* & *Amicum Regium*, expressam, observes, fraudi sit, filum, naturali suo ductu sic decurrere, ut Εὐνῦχος vel Σπάδων primarium occupet locum, principemque constituat notionem. Hanc ex *Jes.* LVI: 3. אל יאמר הסריס הן אני עץ יבש clarissime relucere, non negabis; indeque, quum subsequens *Linguæ* ætas, *talem* in Regum aulis perquam *adamatum*, variisque *admotum* videret negotiis, usu latius extenso, amissaque penitus Origine, alteram *aulici* sive *ministri regii* potentiam esse deductam, Græcè, Latinèque callens, haud mirabitur. Neque huc se conferre dubitabunt, quibus modo ex *Angeli à S. Josephi Gazophylacio Ling. Persar.* p. 257. خفاجه سرايان دى ممالك

ممالك ايران وهند وتركستان اعتبار اكابر واسرا دارند وعجب است *Miniſtri Eunuchi* *(quid mirum?) in omnibus Orientalium Regnorum Curiis inter primores habentur*, haurire fuerit datum.

§. V. Tibi tamen non perſuadeas velim, *ſubſtantivam* eſſe vocem; ſed ſcias, idem in *Origine* atque סָרִיס exhibuiſſe. Eſt enim *Participium paſſivum* formæ פָּקִיד in *Chaldaiſmo*, *Arabiſmo* &c. potiſſimum tritæ, atque ejusdem plane cum *altera* in *Hebraiſmo* frequentiori פָּקוּד poteſtatis. Unde in *pluralitatis* numero ἀναλογῶς procedit סָרִיסִים *Gen.* XL: 7. quod diverſam à סָרִיסִים *Eſai.* XXXIX: 7. cujus *ſingulare* exſtat סָרִיס pro סַרִיס formæ צַדִּיק ex *Conjug. Pihhel* ortum, atque, ut veri nominis *adjectivum*, itidem frequentatum, ſpirat formationem. Plenius hinc atque rotundius *Jerem.* XXXVIII: 7. אִישׁ סָרִיס prolatum; non utique per *appoſitionem*: *Vir, qui erat Eunuchus*; ſed tanquam *ſubſtantivum* & *adjectivum*: *Vir Eunuchus*, Ἀνὴρ εὐνοῦχος *Actor.* VIII: 27. Ita, ut quum *Hebræi* סרים abſolute dixerint, τὸ איש vel aliud quid, κατ' ἔλλειψιν nobis ſemper ſubaudiendum, veniat. Ad eandem rationem, pro ſimplici *ſervus* apud *Plautum*: *homo ſervus*, pro δημόσιος apud *Artemidorum*: δοῦλος δημόσιος,

νιθ, pro سابغة apud *Anteram Ibn Sjeddad* in *Moallekat:* مشك سابغة &c. &c. &c. plenius proferri, nemini non constare potest.

§. VI. Novissimum hocce, quo jure adoptem, quibusve innixus rationibus τὸ כרים פרעה per *Virum Aulicum Pharaonis*, edere jam sustineam, Viri Docti *Guil. Saldenus* in Otiis Theol. *August. Pfeifferus* in Dub. Vexat. *Joh. Henr. Heideggerus* in Histor. Patriarch. alii, qui hunc campum ingressi fuere, ita in omnium defigent oculis, ut neminem crediderim futurum, qui *illud* non lubens volensque amplexetur; licet obscurum sit & admodum anceps maneat hactenus, *Principemne Coquorum*, an vero *Satellitum*, Sacer Scriptor, per statim subsequens שר הטבחים intellexerit! Ad *animalium mactationem* οἱ O trahentes φράσιν reddidere eam per Ἀρχιμάγειρον. Id ex mente *R. Salomonis* esset: שר שוחטי בהמות המלך *Princeps jugulatorum animalia Regis.* *Hominum* autem *carnificinam* intendit *Arabs Erpenianus*, cujus est: رييس السيفين *princeps gladiatorum*, militum forte regiorum aut satellitum, qui in sontes animadvertere solebant. *Chaldæorum* tamen Interpres *Onkelos* nihil determinaverat, & rem verbis ambiguis, inque utramque partem flectendis, per רב קטוליא *principem mactatorum*, expresserat. Utique vocabulum טבח tam על הרג ועל בישול

de

de occisione, *quam de coctione*, monente celebri Judæorum Doctore *Aben Esra* ad h. l. usurpatur. Pro usu posteriori absque ullo dubio militant 1 *Sam.* VIII: 13. IX: 23, 24. &c. &c. Firmamentum addunt *Arabes*, quorum طبخ טבח *coxit*, *elixavit*, *assavit*, & طباخ טבח itidem *coquus*, succinentibus *Chaldæis* & *Syris*, apud *Lexicographos* Latine versa, deprehendes. Legas quoque apud *Elmacinum* L. II. *Hist. Sarac. Cap.* III. p. 104. de *Abugjafar Almansor* vigesimo tertio *Chalifa* & secundo *Abbasidarum* Imperii Saracenici, circumferri: انه استخدم طباخيه علي ان لهم الروس والاكارع وعليهم الحطب والتوابل *illum ita conduxisse* טבחיו *coquos suos*, *ut eorum essent capita*, *&* *crura animalium: ipsique ligna*, *&* *condimenta ollarum suppeditarent.*

§. VII. Non tamen intra hos tantum fines, innoxio fere modo, fluxit verbum hoc, sed vehementiorem sibi etiam contraxit potestatem, atque ad *lanienam*, *mactationem*, *jugulationem*, exemplis passim obviis, sese adplicuit. Apud *Æthiopes* simili usu conteritur. Nam ጠበሐ est *mactavit*, *jugulavit* pecudem ad *esum*, vel ad *sacrificium*, observante Ampliss. *Jobo Ludolpho*

pho in *Lex. Æthiop. Lat.* fol. 557. Unde ጥብሐ *mactationem* & መጥባሕ *lanienam* innuit. Item መጥባሕት non tantum *culter* inspecie est *mactatorius*, sed etiam *gladius Matth.* X: 34. &c. Huc oculos haud dubie conjecerat *Ludovicus de Dieu*, Vir κριτικώτατος, quum τὰς מְטַבְּחִים per *gladiatos* rectius, quum per *mactatores*, reddi, in *Crit. Sac.* ad h. l. autumabat. Nollem, factum. መጥባሕት enim sive מטבחת per መ Hebr. מ *servile* ab initio auctum, proprie est: *instrumentum mactationis, culter* inspecie aut *gladius*; quemadmodum መብስል *olla*, instrumentum *coquendi* à በሰለ: መትክል *clavus*, instrumentum *figendi* à ተከለ: መንጽሕት *cribrum*, instrumentum *purgandi* ac *mundandi* à ንጽሐ: መጸወር & መጸወርት *vectis*, *contus*, instrumentum *gestandi* à ጸወረ: መጥቅዕ *buccina*, instrumentum *clangendi* à ጠቅዐ: መወቀር *dolatorium*, instrumentum *cædendi lapides* à ወቀረ: መቀረጽ *forfex*, instrumen-

tum

tum *incidendi* & *resecandi* à ፐጸሐ: aliaque ὠσεὶ κύνες, proprie adſignificant. At ሐገሐ idem ac *Arabum* طَبَّاخٌ & *Hebræorum* טַבָּח ex Origine ſonat: *mactatorem*, qui ad *coquum*, cujus officium eſt, *mactare* ſimul, ſimul ad *ſatellitem regium*, quem *carnificis* quoque honeſto admodum atque honorifico *munere*, ad inſtar *Conſulum Lictoris* apud *Romanos*, in *Oriente* fungi, compertum habemus, expingendum, ipſa haud refragante *Linguæ* indole, unde etiam طابخ & طابخ abſolute eſt *angelus*, qui damnatos torquet, iiſque ſupplicia infert, ſponte ſua, ſeſe offert. Poſterioris conſortii *ducem* atque *principem*, qui bello & pace in *ſontes* animadvertebat, quique *damnatos* capitali afficiebat ſupplicio, Virum aulicum, *Potipharem* noſtrum, fuiſſe, quum nullus plane *coquis*, eorumque *magiſtro*, videatur eſſe locus, arguunt tum alia, tum præſertim, quod carceris *præfectura*, vinctorumque aulæ etiam familiarum, *ipſi* commiſſa fuerit *cura*; uti ex ſequentibus liquida luce liquidius liquere poterit.

CAP.

CAP. XLIX. *Vers.* 22.

בן פרת יוסף בן פרת עלי־עין
בנות צעדה עלי־שור

§. I.

Haud ſane infelicem *ſententioſo* huic *dicto Jacobæo* navarunt operam, qui interiorem ejus poteſtatem, per *Metaphoram* à *Vite* in plagis Orientalibus multo *generoſiori* & *excellentiori*, cæterisque omnibus facile palmam auferente, elegantiſſime deductam atque expreſſam, ipſa *invitante Linguæ indole*, illuſtrare, inque debita collocare luce, conantur. *Johannes Avenarius* vocabulum פרת formæ, ut inquit רֶנֶג ad τὸ פְּרָת *Phrat* ſive *Euphrates*, reduxerat, indeque, quod melius nihil in promtu erat, mirifica *rami creſcentis & exundantis inſtar Euphratis*, potentia, donaverat. Quid ob oculos habuerit, dicere non habeo. An nimium haud dubie feſtinans פֹּרָת legerit, aut ob ei non ſatis cognitam, neque ullo ſe defendere valentem exemplo formam פֹּרָת lubens volenſque in פְּרָת mutaverit! nihil affirmo; nec tanti eſt *erroris cauſam* pernoſſe, aut in illo muſtaceo laureolam quærere

rere. Longe interim felicius, religiosiusque R. *Davidem Kimchium* & præstantissimos quosque *Lexicographorum*, qui *id* sub פָּרָה ordinaverant, indeque פֹּרָת per *anomaliam*, aut literæ ה in ת *permutationem*, pro *ordinario Particip. fœm. Ben. Kal* פֹּרָה scriptum esse, docuerant, suos subduxisse calculos, jure merito affirmaverim; quamvis omne illud, quod in *interiore Linguæ recessu* hic continetur, *iis* nondum fuerit perspectum. Ingenii enim si acrius intendissent aciem, non ad *anomaliam*, vel *literarum* saltem *permutationem*, sed utique ad *Dialectum*, quæ æque regulariter & פֹּרָה & פֹּרָת sponte sua admittebat, penetrassent. Illis etenim, qui *Palæstram Dialectorum Orientis* à limine tantum salutarunt, ignotum esse nequit, in quibusdam *Terræ Sanctæ* Regionibus, loco ה *fœm. Hebr.* etiam extra *regimen*, ת adhiberi, atque etiamnum, in *Arabia* præsertim, utrumque ex æquo vigere, ut scilicet ה *fœmininum* in *pronunciatione* vel supprimatur, vel *duobus punctulis ei imponendis*, per sonum ת sive ة absque ulla *idearum* confusione, pro lubitu, eliciatur. Non debuissent *arcanum hocce* ignorare *Hebræorum Critici*, qui in *Sacris Pandectis* similia procul dubio jam observaverant. Expressissima *hujus*, sed postea obliterati *veri*, certis vestigia in בִּשְׁנַת הָעֲשִׂירִית *Jerem.* XXXII: 1. עֲשֶׂרֶת אֲלָפִים 2 *Reg.* XXIV: 14. קוֹמָה

הָעֹמֶד

הָעָמֻד הָאֶחָד *Jerem.* LII: 21. &c. &c. Nam præeuntibus ipsis *Notarum Marginalium* auctoribus, pro *hoc*: קומת העמד האחד pro *illo*: עשרת אלפים pro *isto*: בשנה העשירית receptum deinde in *Synagogis*, nec à *nostris* repudiatum fuit. Dubium proinde nullum relinquitur, quin *Particip. fœm.* τῷ פרה ex *Dialecto* æque commode פֹּרָת quam פֹּרָה dare potuerit; etiamsi nuspiam alibi τό פֹּרָת sexcentis autem in locis τῷ פֹּרָה prostante, in *Corpore Biblico*, recurrat. Utrumque juxta *normam Verborum Perfectorum* ex pleniori, antiquiorique forma פֹּרִיָה & פֹּרִיַת à *mascul.* פֹּרִי cujus *Thema* פָּרָה quod ל״ה *quiescere* sciscunt *Grammatici Hebræi* ac *Christiani*, in *Origine* פָּרַי exhibere debuit, uti ex *Æthiopum* ፈረየ & *Arabum* فَرَيَ unde in *Part. fœm. sing.* فَارِيَةٌ פרית existit, nemini non obvium, esse contractum, non *mihi*, sed *Analogiæ* Orientalis Linguæ, accredi velim.

§. II. Principes *Lexicographorum* ex *nexu* haud dubie, *scopo*, *serie orationis*, aliisque *domesticis indiciis*, recte quidem collegerunt; radicem פרה esse *fructificavit*, indeque non in *fœtibus* tantum *arboreis*, *fructibusque terræ*, verum etiam

etiam in *prole hominum* atque *animantium*, frequentari, ſedulo inculcarunt. Proprie tamen & primitus *quid* valuerit, quove ex fonte in *fructificandi* atque *fructiferum eſſe*; uſum (qui, *tum* ob diverſitatem *idearum* modo allatarum, *tum* ob earundem *compoſitionem* ex *fructus* & *facere* ſive *ferre*, quam nemo *Hebræis* obtruſerit, jure merito *ſecundarius* cenſeri debet,) cum tot aliis vocabulis *idem* deſignantibus, conſpirare cœperit, ſilentii peplo involvunt omnes. Silet utique Magnus *Coccejus*, ſilent reliqui, quod quidem ſciam. Prudentius quoque ſiluiſſet *Avenarius*. Nam *proprium* ac *certum* iſtud *decorandi*, quod quærebat, ex affinitate *Hebraicarum* partim, partim *Græcarum literarum*, ita exſculpſit, ut *incertiſſimum* ac minime *proprium*, omne illud reliquerit. Verba in *Dictionario* ſuo *Ebræo* concepta, ſic reſonant: פָּרָה *fructificavit, fertilis fuit, ferax fuit. Idem quod* פָּרָא. *Et cognationem habet cum* פֵּאֵר decoravit, *nam fructus* decent *arborem*, & decus *arborum ſunt fructus. Hinc* φέρω & φορέω *i. fero fructus, fero ornatum*, φόρημι *fero*, φορὰ *abundantia*, ἐκφόριον *fructus*, φορός *fertilis, proſper*, εὔφορος *fœcundus, fertilis*, ὀπωρεύω, ὀπωρίζω, ὀπωρίζομαι *fructus colligo*, ὀπώρα *omnis fructus mollioris corticis*, ὀπωρισμός *arborum fructus*. Longe certius atque magis proprium dubio procul æquus rerum arbiter reputaverit id, quod *Arabum* conclavia, quo indelibatas *Orientis* opes Gratiæ convectarunt, ſartum tectum circumferunt.

runt. Apud hos enim, quum ſub literis radicalibus فرا ultima *Vaw* & *Je*, id eſt פרה cum ה *quieſcente*, ſecundum Dialectum Hebræam, فرج *findendi* ſimul ac قطع *ſcindendi* reperiam ſignificatum, ab iſthoc *findendo* atque *ſcindendo*, anſam fuiſſe arreptam, ad ſecundarium *profindendi* ac *protrudendi fructum*, ſub eodem *Themate*, aſſumendi, juſta me tenet ſuſpicio. Contrarium ſaltem ordinem, quem فري الاوداج *venas colli non ſcidit*; porro فرا الاديم *aptare corium*; item فرا الارض *peragravit terram*; nec non تفري الليل عن صحبه *fiſſa ac diremta fuit nox ab aurora*, &c. &c. in totum reſpueret, irritumque redderet, nemo ſibi finxerit prudens. Nullus quoque nexus daretur naturalis يفري به الفري *finxit*, *protulit*, *fecitve de eo mirabile quid*, inter & فرا افترا الكذب ſive الكذب *finxit*, *commentus fuit mendacium*. Quam phraſin reperies in *Alcorano Muhammedis Sur.* XX. *Aj.* 57. قال لهم موسي ويلكم لا تفتروا علي الله كذبا فيسحتكم بعذاب وقد خاب من افتري *Dixit illis Moſes: Væ vobis; ne confingatis adverſus Deum mendacium, ne perimat vos ſupplicio.*

cio. Nam periit utique, qui mendacia confinxit. Neque ab indole *Radicis* alienius censendum, si de *gladio secante* etiam adhibeatur. Optimæ etenim notæ *Scholiastes* ad hocce *Carminis Tograici* vs. 42.

وعادة النصل ان يزهي بجوهره
وليس يعمل الا في يدي بطل

Mos quidem gladii est, ut fulgeat in nitore suo,
At non operatur, *nisi in manu herois;*

exserte jam monuit, τὸ يعمل יעמל hic *idem* valere, atque يفري ويقطع יפרה ויקצע *findere ac secare.* Sit ergo nostrum פרה primario *findere*, atque inde *fructificare.* Miretur aliquis, & roget, quid *fructifero* cum *fisso, scissoque!* Sed mirari desinet, qui, *arborem, terramque* simul, simulque *mulierem* atque *animal*, quum *fœtum suum, fructumque, fisso cortice, uteroque* quasi *scisso*, protrudunt, publicæque exponunt luci, rite appellari *findere*, observaverit; ita ut פרי עץ aut פרי בטן aut פרי אדמה ex Origine: *fissionem arboris, ventris, terræque*, hoc est, *fructum*, qui per *scissionem* quandam, suique uteris quasi *fissionem*, turgens paritur, atque semet ipsum profindit, proprie sonuerit, expresseritque.

§. III. Ab hac *Idæa* per sane omnibus fami-

 liari,

liari, haud abluderet ipsum Latinorum *Fructus*, modo contra *Veterum* simul & *Recentiorum Grammaticorum*, aliis alios fontes ostendentibus, auctoritatem, ab antiquo *frago*, hoc est, *frango*, unde *fractus*, & mox, mutatione τῦ *a* in *u*, *fructus*, prouti *pessulus* à πάσσαλος; *crepundia* à *crepando* &c. &c. &c. *ejus* incunabula, alicui liceret repetere. Nihil ego firmare audeo; Non tamen satis certa videtur, omnium ferme calculo comprobata *Originatio* ἀπὸ τῦ *frui*, quod non tantum *fruitus*, verum etiam κατὰ συγκοπὴν, ex se *fructus* propagavit. Specimen vide apud *Lucretium*, qui L. III. ita.

Sin ea quæ fructus cunque es, periere profusa.

Sed unde *fruor!* Vetus *Terentii* Commentator *Donatus* ad *Eunuch.* IV. 7. à *frumine* respondet; quasi tu diceres: in *frumine afficior*. Vis ne verba! En tibi: *Frui* inquit *est vesci*, *à* frumine, *quæ est* summa pars gulæ, *à qua re etiam his quæ nec cibo, nec poculo sunt, frui dicuntur* καταχρηστικῶς, *utpote rebus venereis, & delectatione odoris, visus, auditus, & cæteris.* Magnopere addubito, quum contrarius ordo ex facili posset comprobari. *Summus G. J. Vossius* in *Etymol. Ling. Lat.* subscribit iis, qui ad *Græcorum* φορὸς *utilis, commodus*, quod à φέρω, quia ad finem destinatum *confert* vel *perfert*, recurrunt. Qui *alliterationibus* delectantur *Hebraicis*, ipsius nostræ *Radicis* פרח non utique oblivifcerentur.

§. IV.

§. IV. Quicquid horum sequare, *umbram* modo habes, non vero *corpus*, quod, quia sic voluit usus, cessavit penitus, aut ita fuit obliteratum, ut *Viri* etiam *cordati* illud in *Oriente* quæsitum iverint. In quo tamen, si ratio minus bene ducta sit, id saltem obtinebo, nullum signantius τῷ פֹּרָת vocabulum, ad *Vitem generosissimam*, cujus jam turgent gemmæ, cumque grato virore ac vigore erumpere incipiunt, admirabiliter pingendam, adhiberi potuisse. Cave illud *substantivum* reputes; Est enim *adjectivum*, quod pro *epitheto* τῷ גֶּפֶן non uno in loco, ut *Ezech.* XIX: 10. *Psalm.* CXXVIII: 3. &c. additum esse, scias. Usus tamen invaluit, ut pro *ipsa re*, absolute deinceps usurpetur; prout omnes *Participiorum formæ*, Epitheta rerum, *res* tandem *ipsas*, in *omnibus Linguis*, designare solent. Parum *hoc* aut nihil, uti habet difficultatis, ita quoque non vereor, si dixero, *Virum Dei*, illud פרת duplicem in adspectum, & *findendi uterum*, & *findendi corticem*, atque ita *fœtum* suum, *fructumque protrudendi*, huc intulisse, quod mox erat positurus. *Rachel* non infimæ conditionis *Tori Jacobæi* socia, haud dubie est *illa* פרת *mater findens*, fœcunda, fructifera, *læta illa* atque *luxurians vitis*, cujus בן *filium*, sive *excellentem propaginem*, appellatum fuisse *Josephum*, videmus. Fert enim *natura* Linguarum omnium, ut *surculum*, *ramum*, *plantamque terræ*, nomine, sive *filii*, sive *filiæ*, aliquis insigniret. Pro usu

 Biblico

Biblico sufficiet *Psalm.* LXXX: 16. *Visita gratiose vitem ban:ce*, וכנה & stirpem obumbrantem, *quam plantavit dextra tua*, ועל בן *idque propter*; perperam LXX: υἱὸν ἀνθρώπου, melius *Aben Esra:* סעיף hoc est *ramum*, *quem corroborasti tibi*. Nec alienum est, quamvis non omnino idem sit, quod *Horatius* habet *Lib.* I. *Carm.* XIV. vs. 11.

Quamvis Pontica pinus,
Silvæ filia nobilis
Jactes & genus & nomen inutile.

Altius scandit *politissimus* Persarum *Musladinus Sadius*, qui in *Præfat.* ad *Rosarium Polit.* p. 4. ita:

باد صبا را كفته تا فرش زمردين
بكسترد ودايه ابر بهاريرا فرموده
تا بنات نباترا در مهد زمين بپرورد

Stratori subsolano dixit, *ut Smaragdinum lectum sterneret.* *Nutrici vernæ nubi imperavit*, *ut* בנות *herbas*, *filias* (suas,) *in terræ incunabulis educaret.* Ubi *Georg. Gentius* in *Not:* p. 534. *Filiæ vocantur Fossilia*, *Animalia & Herbæ*. Incunabula *terra*, *utpote in cujus gremio omnia recumbunt*; *Matres sunt quatuor elementa: pater vero suprema cœlorum sidera*, *ut quæ suo calore matres*

matres fovent atque fœcundant, *ut tantos & tam varios filios producere possint.*

§. V. Quicunque ergo *Interpretum* φράσιν hancce בן פרת non per *regimen*, sed per *structuram*, quæ *appositio* audit *Grammaticis*, cohærere, ajunt, calculum suum fœliciter minus subduxisse, videntur. *Hebræi notant*, inquit *Malvenda* ad h. l. *non posse verti*, filius fructificationis *vel* ramosæ arboris, *quod* בן filius *non sit* constructum *seu in* regimine, *nam habet* tzeri, *& si esset in* regimine *haberet* segol, *sed exponendum*, filius *vel* ramus fructificans, *& tunc* בן *esse* fœmineum *cum construatur cum* פרת fœmineo, i. e. fructificans *seu* ramus fœcundus, *quod Jacob ob amorem & teneritudinem erga Joseph* fœmineo nomine *ipsum appellet*. Speciosa objectio; quam oculos præstringere posse eorum, qui *Linguæ Hebrææ Analogiam*, בן פרה potius, aut בת פרת, si ullo pacto, tam *diversa*, sede in una, morari possent, quam בן פרת exigentem, tantum è longinquo notam habent, non miror. Secus enim *scrupulum*, qui ex *Tseri* obmovetur, agmine exemplorum discutere debuissent, adeoque ipsum *errorem* ita revincere, ut ne umbra quidem dubitationis cuiquam relinquatur, potuissent, ope præcipue curatioris *Accentuationis Hebraicæ* notitiæ, quam, loco *lineolæ* מקף *Maccaph*, voces in regimine stantes aliàs conjungentis arctius, easque uno quasi halitu proferendas

das esse, docentis, τὸ מהפך *Mahpach*, voculæ בן pulchre heic subjecisse loci, animadvertimus; cujus *potestas*, longiorem moram in *pronunciatione* nectens, singulare aliquod πάθος præ se ferre videtur, per *repetitionem* protectoris sui forte publicandum: בן פרת יוסף בן פרת *filius*, filius *findentis Joseph*; *filius*, filius *findentis* עלי־עין hoc est: נציב על עינא דמיא *positus ad fontem aquæ*, quemadmodum *Onkelos* explanabat; vel ut *Jonathan* habet: שתולא על מבועין דמין *plantatus ad scaturigines aquarum*.

§. VI. Cernis העין *receptaculum aquarum*, quæ non minus in genere *arborum*, quam quidem in specie *vitium necessitatibus* exacte respondent Vide sis *Psalm*. I: 3. præcipue *Ezech*. XVII: 8. XIX: 10. aliaque similia, quæ non exscribo. Glossa *Chaldæi Paraphrastis*, cujus ad *Hos*. IX: 10. בענבים במדבר מצאתי ישראל וג׳ exstat; כגופן דשתיל על עינא דמיא כן במדברא ארע מימרי לישראל וכו׳ huc quoque facit; facietque tum aliud, tum præsertim hocce R. *Maimonidis* in ה׳ שמטה ויובל sive *Constitut*. de *Juribus Anni Septimi & Jubilæi Cap*. I. §. 9. עושין עוגיות לגפנים ועושין את אמת המים בתחלה

בתחלה וממלאים את הנקעים מים ומפני מה התירו כל אלה שאם לא יקשה תפשת הארץ מלחה ׃ וימות כל עץ שבה הואיל *In vitium commodum sulci & aquarum fossæ in principio novi anni constituuntur, quæ aqua implentur. Ideo autem hæc omnia permittuntur, ne neglecta irrigatione tellus disrumpatur humore carens, neve insertæ arbores reddantur inutiles.* Nec mirum; Nam in *Cod. Misch.* כלאים *sive de Miscellis*, ex *R. Eliezeris* sententia, ita disputatur *Cap.* V. §. 3. הריץ שהוא עובר בכרם עמוק עשרה ורחב ארבעה רבי אליעזר בן יעקב אומר אם היה מפולש מראש הכרם ועד סופו הרי זה נראה כבין שני כרמים וזורעים בתוכו ואם לאו הרי הוא כגת *Fossa per vineam transiens, denos palmos alta, lata quaternos, R. Eliezer Jacobi filius ait, si totam à capite ad calcem permeet, eo loco habetur, ac si esset inter binas vineas, atque seritur in fundo. sin vero, ut lacus torcularis habetur.* Hujus, si à *Plinio*, *Varrone*, *Columella*, aliisque *Rei Rusticæ* scriptoribus, memoratæ *Compluviatæ* h. e. in modum compluvii plantatæ *Vineæ*, perpendantur, momentum crescet; In quem tamen campum me immittere, jam non sustineo.

§. VII. Reddamus potius, genuinum, jucundissimæ imagini, splendorem, quem posterius commatis

matis hemeſtichium, ſinu ſuo complectitur. Verba ſonant: בנות צעדה עלי־שור. Ex *Verſione Latina* hæc habe : *Filiæ diſcurrerunt ſuper murum*. Hæc *Cornelius à Lapide*, veſtigiis haud dubie R. *Salomonis*, *Eliezeris*, *Hieronymi* atque aliorum inſiſtens, παραφράζει : *Filiæ Ægyptiæ diſcurrerunt ſuper murum*, *ſuper muros domorum & urbium*, *ut viderent Te ô Joſeph*, *tam formoſum juvenem*, *cultu regio inſignem*, *quaſi patriæ mundique ſervatorem*, *& ut viciſſim à Te viderentur*. Narratio Vetus; in quam nunc non excurro. Unum modo veniam eblanditur ex *Roſario Politico*, ubi *Scheich Sadi*, deformitatem *Æthiopis* cujusdam deſcribens, ſic canere incipit *Cap.* I. *Edit. Gentianæ* p. 140.

تو گويي قيامت زشت رويي ۞
برو ختمست وبر يوسف نكويي ۞
شخصي نه چنان كريه منظر ۞
كز زشتي او خبر توان داد ۞

Dixeris equidem, ad extremum uſque judicium, hunc deformitatis,
Perinde ut Joſephum pulchritudinis, exemplum eſſe.
Homo erat adſpectus adeo deformis;
Ut deformitas ejus, verbis deſcribi, nequeat.

Longe

Longe diverſum *præſtantiſſimus Vatablus* hinc meditatur iter, cujus eſt: *Doctiores non interpretantur* concurſum fore Virginum ſuper muros, *quas illexerit arboris conſpectus*, *ſed* continuam eſſe metaphoram *ſcribunt*, ramuſculos filias *vocari exiſtimantes*, & diſcurrere per muros, *quum alte ſe diffundunt*. Id elegans, doctumque, nec ſperno proinde, quum cum *Metaphora ſuſcepta*, pulchre queat conſiſtere. Nihil enim certius, nihilque ex jam diſputatis clarius, quam τοῖς בנות *tenuiores ramos*, ſive *palmites*, intelligi; quarum כל אחת גבהה עד שצערה על החומה והבנות הם הפארות *unaquæque ſublimatur, donec excedat murum*; *nam filiæ ſunt rami* ſive *palmites ſpectabiliores*, uti *Kimchius* in *Lib. Rad.* commentatur. Dilucidius proinde multo *Arabs Waltonianus* mentem exprimit per: ويوسف ابن مثمر كغصن مثمر علي عين ماء عروقه قد امتدت علي سور *Joſeph autem eſt filius fructifer, veluti ramus fructifer ad ſcaturiginem aquæ, cujus radices extenduntur ſupra murum*; quam *Erpenianus*, qui ipſa *Codicis Sacri* verba: بن مثمر يوسف بن مثمر علي عين بنات صعدت علي سور retinere, ſatius duxerat.

§. VIII. Singularis venuſtas, qua verbum צָעַד cujus 3. *fæm. ſing. Præt. Kal* צָעֲדָה præ ma-

 nibus

nibus habemus, pollet atque ſuperbit, niſi ejus *genuina* inſpiciatur *proprietas*, teneri non poteſt. Facile enim, *tum* ex *Librorum Sacrorum* uſu, *tum* ex peculiari *Arabum* declaratione, qui *majores*, *diductiores* ac *veluti ſcandentes in altum greſſus*, τῷ صَعَدَ adſignant, comprobabitur, *noſtrum* צעד non ſimpliciter eſſe *diſcurrere*, nec *incedere*, nec *progredi*, nec *itare*, nec *prominere*, qualia per *Verſiones*, per *Lexica* volitare vides, ſed *ſpaciari* cum pompa, ac greſſu *ſcandere* magnifico, proprie exprimere. Hoc, uti jam ſupponitur, alibi *exemplis* firmandum, ita in præſenti nil ſumam, quam quod à *nemine*, *Hebraicæ Veritatis* amante, in dubium vocari queat; ſcilicet בנות צעדה non *ramulos*, qui *diſcurrunt*; vel, qui *incedunt*; vel, qui *progrediuntur*; vel, qui *prominent*; ſed utique, qui *cum greſſu ſcandunt diductiori*, vertendum eſſe; niſi quis malit: qui *ſpaciantur*; quod pro *greſſu* itidem *diductiore*, & quaſi *ſcandente*, foret elegans, quodque *Pliniano ore: qui geniculato curſu ſcandunt*, per ſane commode expreſſeris. Ubi tamen, nemo religionem, ſibi diſcrepantiam *numeri*, qua בנות צעדה *filiæ ſcandit*, pro בנות צעדו *filiæ ſcandunt*, prolatum obſervas, objicere patiatur. Nihil enim in *Sacro* æque ac *Profano ſtilo* familiarius eſt, & *Exemplorum numero*, ſi quis eam vellet oppugnare, *Conſtructio* hæc ſeſe tutaretur. Quare nollem *Coccejo noſtro* hic excidiſſet: צעדה eſſe *formam Chaldaicam pluralem*; quantumvis bona

inter-

interpretatione, quæ: *palmites ſcandentes in murum*, adfert, emolliatur.

§. IX. Sic vulgo τὸ עֲלֵי־שׁוּר converſum video; pro quo *alii* tamen, vel: *ſupra*, vel etiam: *ultra murum*, maluerunt. Sane שׁוּר eſt *murus* 2 *Sam.* XXII: 30. *Pſalm.* XVIII: 30. &c. &c. Atqui חומת הבית *murus domûs*, aut חומת העיר *urbis murus*, hic non ſatis apte ſedet; licet *priori* huic *menti* à *Virorum* Doctiſſimis *Pſalm.* CXXVIII: 3. *Uxor* tua eſt כגפן פריה בירכתי ביתך etiam adplicetur. Hoc ex *Verſione Junio-Tremelliana* eſſet: *ut vitis fructifera ad latera domus tuæ*; ac ſi בירכתי ביתך ad *Vitis* quoque, hic pertineret, imaginem, *quæ*, ut *Doctiſſ. Geieri* ad h. l. verbis utar, *in noſtris quidem regionibus plantari ſolet ad* ædium muros, *adeoque per* latera earundem *veluti extendi*, *qualem aliàs Columella* L. III. *de Re Ruſtic. cap.* 2. *vocat* pergulanam, *quæ nonniſi ex optimo genere deligitur*, &c. *Verùm an id adeo in uſu apud gentem*, *vineas ampliſſimas colentem* (*adeoque curam forte* vitibus *in* urbe *non impendentem*) *ambigi adhuc poſſet*; *præſertim cum eadem hæc phraſis* alium *gignat* ſenſum *Amos.* VI: 10. *dicit ei*, *qui eſt* בירכתי בית i. e. *in partibus*, *ſeu angulis domus interioribus.* item *Jon.* I: 8. *deſcenderat ad* ירכתי *navis*, i. e. *ad quendam angulorum ejus. Quare commodius referri videtur ad* uxorem, *quæ eſt in* lateribus domus, i. e. *una cum prole ſuâ*,

ſuâ, *quam cautè ſolerterque educat*, domi ſe continet *inſtar teſtudinis domiportæ &c.*, *ubi meretrix eſt vagabunda.* Mea ergo ſic habet ratio, atque animum ſic induxi meum, ex שור omnino ſignificationem *muri*, primo eminere adſpectu; ſed altius quid, multoque nervoſius in *ſinu* recondi *Linguæ*, quod penitior *vocabuli* hujus indoles, ſuppeditabit. In שור ſcilicet *murum vineæ*, quem *Vites* geniculato curſu *ſcandentes*, procacibus ſuis amplectuntur brachiis, reſidere, arbitror. Talem *Latini* vocant *pedamentum*; quod, per *ſtatumen ligneum alte erectum*, *cratiumque inſtar laxe textum atque plexum*, *quo* Vitis *pedatur*, hoc eſt, pede tanquam ſubjecto, ne terram botris onuſtæ perferperent palmites, *fulcitur*, *Veterum* expingunt *ſcriptores.* Eandem vim, uſumque, tum *alia*, tum præſertim عَرْش *Hebr.* עֶרֶשׂ *ſtructura lignea*, *pergulæ ſuſtinendæ ſuſpendendæve vineæ facta*, ſibi ſumunt. Id apud *Mohammedem* in *Alcor. Sur.* XVIII. exſtare, moneo. Verba ex *Aj.* 43. ſic ſeſe habent:

واحيط بثمره فاصبح يقلب كفيه علي ما انفق فيها وهي خاوية علي عروشها ويقول يا ليتني لم اشرك بربي احدا Ubi *Ludov.* *Marraccius* interpretatur: *Et circumdatus eſt fructus ejus*. (id eſt periit.) *Cœpit igitur invertere volas ſuas ſuper id*, *quod expenderat in illum*,

lum, nempe hortum, *nam ille erat vacuus ſuper fulcimenta ſua.* (id eſt ſuper paxillos, quibus vites ſuſtentabantur) *& dicebat: O utinam ego non aſſociaſſem cum Domino meo ullum.* Ex R. *Maimonidis* ſententia, quodammodo etiam huc ſpectaret τὸ אפיפירות, quod R. *Nathan* per: אילן שעושה פירות הרבה *arborem, quæ largos edit fructus*, declaraverat. Sed diſſentit R. *Muſtaphias*, cui ex *Lingua Græca* eſt: *quæ jam non amplius fructus facit*, ſenio *confecta*, vel *alia de cauſa, arbor*; ut ἀπόφορα, hoc eſt. δένδρα μὴ φέροντα καρπόν, Gloſſatoris *Heſychii* fuerit, judice *Gulielmo Guiſio*, erectioris ingenii *Viro.* Locus, quem reſpiciunt, ex מ׳ כלאים *Cap.* VI. §. 3. relegatur: המדלה את הגפן על מקצת אפיפירות לא יביא זרע אל תחת המותר *Qui ſuſpenderit vitem ſuper alteram partem* אפיפירות, *is non invehet ſemen ſubter reliquam partem.* Ad quem laudatus *Moſes ben Maimon* adnotabat:

אפיפירוה: הי אלנסיגאת אלתי תעמל מן אלקצב ומן אלעוד לתמדך עליהא אלעראיש Aphipherots *ſunt opera plexa ex arundine* vel *ligno*, *ut ſuper ea explicentur vites pergulanæ.*


§. X. Interpretationem hanc non nihil adjutat atque commendat *Talmuldicorum* שורה quo nomine *lineam*, *ordinem* atque *ſeriem*, ex notione

ne forsan τῦ שור *muri*, qui *ad lineam ædificatur*, ut *Buxtorfius* in *Lex. Maj.* conjicit. Addit quoque: *Est lineata series varia in areis hortorum, in agris, in Vineis & aliis similibus.* Statim intelliges, τὸ שורה *normam* tum *lineatim ductam*, secundum quam, in hortorum areis, disponuntur *arbores*; tum *sulcum*, qui in agris *ad lineam* quasi ducitur aratro; tum denique *lignorum compagem*, qua in *Vineis* fulciuntur *Vites*, dicere *Latine* atque communicare. Exempla apud *Mischnicos*, *Talmudicosque scriptores* passim sunt obvia. Totum genus ex disceptatione *Hillelis scholam* inter atque *Schammai*, recognosces, memoriæ itidem tradita in *Cod.* כלאים *Cap.* IV. §. 5. הנוטע שורה של חמש גפנים בית שמאי אומרים כרם ובית הלל אומרים אינו כרם עד שיהו שם שתי שורות לפיכך הזורע ארבע אמות שבכרם בית שמאי אומרים קדש שורה אחת ובית הלל אומרים קדש שתי שורות *Ubi consitus est* ordo *quinque vitium*, *Schammæani dicunt*, vineam *esse*. *Hillelæi autem* vineam *esse negant*, *nisi* duo *sunt* ordines. *Hanc ob rationem si quis satis occupet cubitos quaternos vineæ*, *Schammæani censent*, unum *duntaxat* ordinem *sacrum esse*, *Hillelæi autem* duos. Quid! *usui* huic *posteriori* R. *Isaacides* haud ineleganter jam applicaverat *Jerem.* V: 10: *ascendite* בשרותיה, hoc est, שורות הכרם *Ordines Vineæ*.

Vineæ, ac destruite. Neque se huc conferre dubitabit, qui noverit, non *pinnas*, non *munimenta* & *propugnacula extra muri ambitum libere excurrentia*, sed *palmites*, *libereque luxuriantes*, *seque effundentes arborum* & inspecie *Vitium ramusculos*, in vocabulo subjuncto נטישות inter *Hebræos*, concelebrari. Ansa hinc porrecta Cl. *Coccejo*, ad *Israelitas*, qui cum *Vite*, in quo *stolones* sunt atque *propagines*, circumdantes quasi *Hierosolymorum muros*, comparantur, ingeniose admodum respiciendi; quod hanc haberet vim: *Hierosolymas tum occupandas & Judaicæ vitis propagines in totum esse removendas.* Nihil ergo jam mihi sumo, nisi quod ab *æquis rerum arbitris*, sine *veritatis*, quam *Talmudica auctoritas* suggessit, dispendio, in dubium vocari nequit, dicendo atque affirmando, φράσιν בנות צעדה עלי־שור huic ex amussim *Latinorum* respondere: *Palmites spaciantur* super שורות הכרם *murum vineæ*; uno verbo: *pedamentum*. Ita τὸ עֲלֵי omnium ore, unanimique consensu, declarari solet; Oratione profecto decrescente, quæ incrementum sumet & vires, si detur: *Palmites scandunt supremas partes*, hoc est, ut ita dicam: *superioritates pedamenti*. Est enim mihi non proprie dicta *Particula*, sed potius *Plural. const.* ab *absol.* עלים cujus *singul.* עָלֶה vel *decurtatum* על concipias, velim.

Quod

Quod, an *locum* & *situm* rei alicujus *superiorem*, expresserit, nec ne! qui interiorem sinum τῦ עָלָה excusserunt, quique genuino, locutionis à paucissimis intellectæ ויפסחו על המזבח 1 *Reg.* XVIII. 26. hancce, & cum *præcedentibus* & cum *sequentibus* intime cohærentem, genioque *Linguæ* convenientem apprime, Versionem: *Et laxarunt* hoc est, *dissolverunt superioritatem* sive *supremam partem Altaris*, palam præ se ferentis, lumine jam fruuntur, haud disputabunt.



ANIMAD-



ANIMADVERSIONES PHILOLOGICO-CRITICÆ IN EXODUM.

CAP. IV. *Vers.* 2.

מזה בידך

§. I.



cumen *Masorethorum*, quod tibi *Margo* exhibet, τὸ מַזֶּה non minus ex מָה & זֶה contractum, verum etiam compendii causa, pro pleno מַה־זֶּה exaratum esse, existimat. Id per קרי sive *Lectionem Marginalem* מה-זה intendi, ex *Ope-*

re Basileensi evidenter ſatis relucet. Extat ibi in *Masora*, quam *Textui* adſcriptam vidès:

מזה חד מן ט"ו מלין דכת' תיבה חדא וקריין תרין נ"ד מַזֶּה *unum est ex quindecim vocabulis, quæ ſcribuntur ut dictio una, & leguntur ut duæ*. Idem firmat *Grammaticus* inter Judæos multorum librorum editione clarus *Elias Levita*, cujus in *Opuſculo*, quod מסורת המסורת inſcribitur, hæc ſunt: המין הו' במלות דכתיבין חד וקריין תרי והן ט"ו במספר כגון מַזֶּה בְּיָדְךָ : מַה־זֶּה קרי וכ"ו *Sexta ſpecies* diverſarum ſcilicet lectionum *comprehendit vocabula, quæ* ſcribuntur *ut unum, & leguntur ut geminum; ſuntque numero quindecim ; ſic* מזה בירך *legitur* מַה־זֶּה &c.

Adſirmabunt quoque *tum* ſuperioris, *tum* ſeculi præſentis *Grammatici*, quorum occupare videas ſcripta: *Pronomen* מַה *quando per dageſchs forte, mediante lineola Maccaph cum ſequenti vocabulo in unum coaleſcit, amittere ſuum* ה *per Syncopen.* Aſſertum ex *noſtro* מַזֶּה partim, partim ex מַלָּכֶם *Eſ.* III: 15. מָהֵם *Ezech.* VIII: 6. pro מַה־לָּכֶם, & מָה־הֵם ſecundum *Tiberienſium* itidem *Doctorum* mentem, poſitis, elicuerant, magnoque proinde conſenſu

per haud absimilia, ut: מַתְּלָאָה pro מה - תְּלָאָה *Mal.* I: 13. לְמַבָּרִאשֹׁנָה pro לְ־מַה־בָּרִאשֹׁנָה 1 *Chron.* XV: 13 לְמַדַּי pro לְ־מַה־דַּי 1 *Chron.* XXX: 3 comprobaverant; quæ & alia adhuc æqui bonique consulere par est, dum nihil melius occurrebat, in quo pes figeretur.

§ II Altius tamen *Linguæ Hebrææ* fundum sollicitanti, non nihil scrupuli objiciet *illud* in *scriptione* simul, simul in *pronunciatione* exclusum ה *He*, neque *Dagesch forte* vicem istius ה satis implere, videbitur. Quid ergo! requiritur omnino *literarum*, non utique, *Quiescentium*, sed *Consonantium*, aliqua. Prior *compensationem* per *Dagesch* plane respuens, locum suum constanter servat, quamvis *ipso actu* nihil præstare posset. Hujus sunt generis מַה־נּוֹרָא *Gen.* XXVIII: 17. מַה־יִּתְרוֹן *Eccles* I: 3. מַה־שְּׁמֶךָ *Gen.* XXXII: 28. מַה־טּוֹב וּמַה־נָּעִים *Psalm.* CXXXIII: 1. מַה־פִּשְׁעִי *Gen.* XXXI: 36. מַה־זֶּה *Gen.* XII: 18. מַה־זֹּאת 2 *Reg.* I: 5. &c. &c. &c. Posterior *contractionem* adhamans, ditionem suam & quasi jurisdictionem amplius tueri nequit. Talem tibi sistet atque ex longinquo quasi reducet *vocula* מַן; quam cur præ *Masorethar*um illo מַה jure abjicias, non da-

bis. Summa enim ſponte τὸ מַן & זֶה in מַן־זֶה primò, ac deinceps extruſo ן *Nun* in מַזֶּה, item מַן & לָכֶם in מַלָּכֶם, conſimiliter מַן & הֵם in מֵהֶם, nec non מַן & תְּלָאָה in מַתְּלָאָה &c. &c. degenerare, ſeſeque diffundere, ignotum eſſe non poteſt iis, qui *genuinam* modo τῆ *particulæ* מַן ex ipſis *Linguæ Sanctæ* rudimentis, *formationem*, hauſerunt. Neque quod in *ſignificatu*, quem cum מה ferme, in *Chaldaiſmo*, *Syriaſmo*, &c. communem poſſidet, amplius requiras, vix habebis.

§. III. Conſona voce, unanimique *magnæ auctoritatis Interpretum* conſenſu Etymon τῆ מָן *Mannæ* huc referri video. *Iſraelitas* enim, quum *cibum illum cœleſtem* primùm viderent, ad ſe invicem dixiſſe מָן דוא *Exod.* XVI: 15. relatum legimus. Id, ſecundum *Joſephum* & *Hieronymum*: Τὶ τῆτ᾽ ἐςιν! *Quid eſt hoc!* interpretari eſt. Vexillum erexerant *Alexandrini*, quorum: Τί ἐςι τῆτο; circumfertur. Fraudi fuit ſtatim ſubſequens: כי לא ידעו מה הוא *quoniam non ſciebant, quid hoc eſſet.* Melius atque nervoſius R. *David Kimchi*, qui *donum* & *portionem* ſagaciter hic aſſecutus eſt. Verba in ספר השרשים ſub *Rad.* מנה concepta, ſic reſonant: לפי שלא ידעו

לו

לו שם קראו לו מן כלומר מתנה וחלק מאת השם יתברך *Quia ignorabant nomen ejus, ideo vocarunt ipſum* מן Man, *q. d. donum & portio eſt à Domino benedicto.* Hæc te, ni falſus ſum, ferient, inque aurem, animumque, mira influent jucunditate. Utique מן eſt ab *obſoleto* in *Biblis* מָנַן quod à *præcidendo*, in *donis* ſpeciatim *divinis* ſecundario frequentatum, apud *Arabes* hodiedum *largiter donandi*, *benefaciendique* retinuit uſum; qui ex ſe مَنَّ מן ſub *muneris* atque *doni* à *Deo* المنان *benefico* atque المنبني *propitio* ſponte in aliquem collati, notione, iterum propagare, & potuit & debuit. Unde apud *Algazalium* in *Lib. quodam MSS.* هو غريق في بحر منن الله تعالي وايديه *Ipſe demerſus eſt in mare beneficiorum Dei excelſi & manuum ejus.* Apud *Bohadinum* in *Præfat* ad *Vitam & Res geſtas Saladini* ſtatim quoque ab initio legas: الحمد لله الذي من علينا بالاسلام وهدانا بالايمان الجاري علي احسن النظام وانعم علينا بشفاعة نبينا عليه الصلاة والسلام *Laus Deo, qui nos beavit, largiter-*

giter-

giterque donavit Islamismo, *nosque duxit ad fidem pulcherrime contextam*; *atque gratificatus est nobis intercessionem Prophetæ nostri omni benedictione & pace cumulati.* Horum itaque si relegamus vestigia, *Israelitarum* illud, quum omnia, per *hunc* vere *cœlestem rorem*, completa viderent, exclamantium : מן הוא *Donum divinum hoc est*; vel, quod ex conjectura proponerem: *donum, munusve illius*, Dei scilicet, quem sublatis in *cœlum* oculis, κατ' ἐξοχὴν הוא appellabant, quemque, summa cum admiratione, propter *rei* novitatem, digito quasi indice, demonstrabant, proprie sonare, commodissimeque exprimere, nemini non, sponte apparebit.

§. IV. Est & *aliud* adhuc מן quod à summis itidem *Virorum* potentia *Pronominum* מה vel מי tum *rei*, tum *personæ*, *interrogativorum*, auctum reperio *Psalm.* LXI: 8. חסד ואמת מן ינצרהו *Posteriorem* usum respicientes οἱ O reddiderunt: ἔλεος καὶ ἀλήθειαν αὐτοῦ τίς ἐκζητήσει αὐτῶν. Hos, *Syrus*, *Æthiops*, *Vulgatus*, alii, κατὰ πόδα secuti sunt. *Priorem* autem *Coccejus* ob oculos habens, maluit : *Gratia & veritas quàm arctè custodiunt ipsum.* Prorsus tamen incommode, Clarif. *Geiero* judice, cujus est tentamen : *Gratiam ac veritatem constitue* vel, *fac, ut custodiant eum*; ita ut מַן proprie *detruncatus* in *Pihhel* τοῦ מַנֵּה à מָנָה *Imperativus* fuerit. *Duplex potest esse sensus*, inquiebat Magnus Ecclesiæ no-

nostræ Doctor *Joannes Calvinus* in *Comment.* ad h. l. *Quia enim humanitas & fides veræ sunt Regnorum fulturæ, non absurdum esset, Davidem sibi petere mansuetudinis vel clementiæ & integritatis spiritum, ut hoc modo in regno stabiliatur. Meo tamen judicio probè conveniet alter sensus, ut Deus ad custodiendam Regem clementia & veritate se accingat. Nam* מנה *non tantum* parare, *sed etiam* præficere *vel* decernere *significat: ac si dixisset Regni sui fidelem custodiam in sola Dei misericordia & fide includi. Interea verbo* parandi, *vel* præcipiendi *ostendit Deo esse in promptu media quibus sua conservet.* At, Tu, si mysticum vocabulum מן *Mannæ, Domini* scilicet *Messiæ*, qui citra controversiam *Rex* est, cujus modo facta erat mentio, quemque sagacis nasi *Chaldæorum* Paraphrastes *Onkelos* hic jam vestigaverat, *æternum sessurus ante faciem Dei*, huc advocaveris, sensus se suggeret haud pœnitendus, limpidioreque adhuc fluxu prodiret Oratio: *Benignitas & veritas Manna custodiant ipsum*; hoc est, ut, qui *verum* illud *Manna*, ἀντίτυπον prioris, extitit, quique non fine summa admiratione è *Cœlo* tanquam *donum* verè *divinum* defluxit, in *cœlum*, ad vim *immortalitatis*, vigoremque, omnibus suis membris præstandum, reassumeretur. Edere quoque κατ᾽ ἔλλειψιν τοῦ כ indirecte liceret: *Sicut Manna, ad instar Mannæ sacratissimæ*; cujus consecratio, & apud *Thronum Dei*, arcam scilicet fœderis, asservatio, hoc ipsum, quod *Psalmographus* nunc intendit, omni ex par-

te præfiguraſſe, videtur. Utramque conjecturam, *Vener. Præceptor noſter* πολυμαθέστατος *Cl Schultenſius* in *Coll.* ad *Pſalmos*, communicavit, non multum, ut videbatur, ei tribuens, ſed cui, plus tribui poſſe, alii forte, haud immerito judicabunt.

§. V. Minus quidem ſæpe exſtat *uſus*, quem revoco atque in medium do, ſed tamen exſtat. *Eſr.* V: 4. מַן־אִנּוּן שְׁמָהָת גֻּבְרַיָּא τίνα ἐςὶ τὰ ὀνόματα τῶν ἀνδρῶν, *quænam ſunt nomina virorum.* Quem, ſi *Hebræis* quis, non uſitatum eſſe, cauſari vellet, næ is, quibus in *Hebraicarum rerum* anguſtiis conſtituti ſimus, non attenderet, nec in *Grammatica*, quæ voculam מַן uno alterove loco *integram* partim, partim *truncatam* centies occurrere monet, neque in Orientalis Linguæ *Dialectis*, noſtrum מַן ex æquo & ܡܢ & ࠌࠍ &c. admittentibus, ſe tritum ſatis atque pervolutatum, aperte nimis proderet. Ubi cave prætervolet, τὸ מַן in *laxiori*, quam ſibi *præ* uſitatiori מָה *Arab.* ما & מִי pro quo *Arabes* من ſonare ſolent, contraxerat, *poteſtate*, ad *rem* ſimul, ſimul ad *perſonam*, qualis in *Dan.* III: 15. *Eſr.* V: 3. &c. relucet, extendi. Utrumque in *Libello* de *Centum Regentibus*, aliquo modo inſinuatum, deprehendes pag. 134. نحو من بمعني الذي

من يكرمني اكرمه وما بمعني الذي نحو

نحو ما تصنع اصنع h. e. מן *significat* الّذي qui, *ut*: qui *honorabit me*, *honorabo eum*. מה *autem*, *idem quoque* vult, *quod* الّذي quod, *ut*: quod *facies*, *faciam*. *Prius* enim מָה de *re* solùm, *posterius* autem מִי de *persona* tantùm, nec unquam aliter, frequentari, à Viris Doctis, *Joanne* præcipue *Drusio*, in *Commentariis* tum passim, tum in *Observat. Sacrar.* L. VI. Cap. 1. abundè jam demonstratum, invenies. Sed ecce tibi è transverso *Jacobum Altingium*, qui in *Fundam. Punct. Ling. Sanct.* §. 93. Num. 4. duobus *Jud.* XIII: 17. & *Mich.* I: 5. locis, abreptus, τὸ מי interdum & de *re* sumi, sibi credi postulat. Principi isti *Grammaticorum* in *primo exemplo*, quo LXX. *Seniorum*: Τί τὸ ὄνομά σοι, haud dubie secutus, verterat; *quod est nomen tuum*, concisior structura מי שמך quæ, aut in מי אתה בשמך *quis es de nomine tuo*, aut in מי אתה ושמך *quis es*, & *quis nominaris*, resolvenda, obstitisse videtur. Alterum, quamvis se non penitus nulla specie commendabat: מי־פשע יעקב הלוא שמרון ומי במות יהודה הלוא ירושלם *Quod est scelus Jacobi! annon Samaria; Et quæ sunt excelsa Jehudæ! annon Jerusalem*; pro-

pius tamen ad *Linguæ* genium esse existimo, qui & hîc vim *personæ* alicujus viderunt; ita ut שמרון & ירושלם tanquam *duo capita*, *duo principes*, *duo auctores*, qui totam regionem, ad *deficiendum* à Deo, sua induxerint auctoritate, in scenam producantur.

CAP. VI. *Vers.* 3.

וארא אל -אברהם ואל-יצחק ואל- יעקב באל שדי וכו׳

§. I.

Phraseos admodum signatæ נראה באל שדי *constructionem* implicat non nihil *Particula* ב, quam *nomini Divino* אל שדי arctissime videmus innexam, & *rationem* in primis, quâ *Latine* illa veniat reddenda, justo relinquit obscuriorem. *Tria* vulgo Doctorum Virorum circumferuntur *Interpretamenta*; quorum *primum* τὸ באל שדי *in El-Schaddai*, per: *in omnipotentia Divina*, declaraverat. Id *Hebraismum* vocant *Munsterus*, *Clarius*, aliique. Quam vellem, paulo clarius mentem monstrassent.

Cla-

Clariorem deprehendes in *altero*, quod literam ב, potentia כ״ף ך *similitudinis* fungi censens: *tanquam*, five *ad instar El-Schaddai*; Tibi obtulerat. Affine huic esse admodum & quasi gemellum, quamvis non plane idem sit, *tertium*, pervenustum ב״ת ב adferens *pleonasmum*, casumque *nominandi* directe expingens: *El-Schaddai*, non negabis. Huc concedunt omnes, quotquot *Dialecto Arabum* aliquod statuunt pretium In *ea* enim, quum hocce *Idiotismo* frequentius sit nihil, nihilque, ut videbatur, elegantius, in *Grammaticam Arabicam Erpenianam* hinc jure intromissum esse, scias: *Particula* ب sive ב *Nominativo præfigitur pleonasticè*: ut الله بقدير *Deus est in potente*, id est, *potens*; انا بمومن *ego sum in credente*, id est, *credens*. Quod nec à Cl *Coccejo* in *Comment. Serm. Hebr.* fuit repudiatum. Nam ibi *fol.* 75. reperies „ *Prov.* III: 26. כי יהוה יהיה בכסלך *Nam* „ *Dominus erit in fiducia tua*. h. e. *erit fiducia tua*. Nihil enim est præter Deum, cui confidere possumus. Nisi intelligamus: *Dominus erit in tua fiducia*, quia tua fiducia erit „ ipsius ἐνέργεια. Certè apud Arabes παρέλκει, „ ut quum dicunt, אללה בקדיר *Deus est in* „ *potente*, h. e. *potens*. &c. Faculam jam accenderat *Egregii Opusculi Auctor*, quod: *Centum Regentium*, inscribitur. Verba sunt:

السابع

السابع (الباء) زايدة نحو هل زيد بقايم اي هل زيد قايم *Septimo* (τὸ ב) *est pleonasticum*, *ut: an Zeidus est in stante!* seu, *an Zeidus stat!* Magni nominis Vir *Thomas Erpenius* converterat: *Septima* significatio *est Redundantiæ.* Ad quod rite ac recte intelligendum, in *Comment. pag.* 97. subjicit: *Impropria locutio: Nam redundantia significatio non est: Sed nec Auctor sic habet*, (*licet mihi vertendum ita fuerit*) *verum* redundans *nihilo magis* conveniens: *referendum enim & hoc ad* ب *est*, *non ad* significationes: *melius itaque dixisset.* Præterquam quod hasce significationes habet, interdum etiam in Oratione redundat. *Redundare autem solet in prædicato orationis, maximè interrogativæ, & negativæ: & interdum etiam alibi*, ut كفي الله هاديا *pro* بالله هاديا كفي *sufficit Deus in directorem.*

§. II. Ubi tamen *locum nostrum*, aliaque similia attentius perpendo, tam singulare quid, & tam reconditum, ibi subesse sentio, ut neque in ב *similitudinis*, multo minus in *Pleonasmo*, clausis adhuc fontibus recludendo, acquiescere ausim. Non diffiteor, τὸ ב aliquando παρέλκειν. Sed sciri velim, *id* à peculiari *hujus* vel *illius Radicis* indole, sæpe numero dependere unice; quam si ignoramus, fieri non potest, quin in illa *Lingua*, in quam *Hebraica*, *Chaldaica*, *Syriaca*, *Arabica*

ca &c. transfunduntur, *ſaltus*, ac ut ita dicam, *biatus* aliquis *inſuperabilis*, exiſtat. Imo, *boni* non eſſet *Interpretis*, etiamſi *natales vocabulorum omnium* in promtu habeat, eas in *verſione* ſua, ſuperſtitioſe expreſſas velle. Hoc certe *conamen*, omnis etiam *Linguæ Latinæ* ubertas, ſi quis *eam* elegerit, non adjutaret, ſed refutatum, quin imo, exploſum daret in totum. Phraſis eſt *Locmanniana*: ضعيف ظفر بالقوي טעיף צפר בקוי Vulgo vertitur: *Debilis vincit fortem*. Nec immerito; interim, quem perſuaſum hinc cupiunt aliis, *pleonaſmus*, mox in ventum abiturus, ſi ſecundum verbi ظفر genuinam proprietatem; *Debilis figit ungues in forti*, ſubſtitueris. Apud *Tograjum* ſimile ferme invenio vs. 37.

اهبت بالحظ لو ناديت مستمعا
والحظ عني بالجهال في شغل ۞

Inclamavi Fortunam, proprie: *increpavi in fortunam, ac ſi vocâſſem, quæ auſcultaret,*
At Fortuna, me derelicto, occupata eſt in inſipientibus.

Ejusdem generis cenſendum & hocce *Haririi* in *Conſeſſu Prim. p.* 26. تامر بالعرف وتنتهك حماة وتحمي عن التنكر ولا تتحاماه

Præ-

Præcipis æquum; sed violas ipse sacrum ejus: prohibesque iniquum; sed te non contines ab eo. Non nihil diversus hinc abiit *Muhammedes*, qui *Alcor. Sur.* XI. Aj. 99. ita: الي فرعون وملايه فاتبعوا امر فرعون وما امر فرعون برشيد *Quantum ad Pharaonem & Primates ejus, utique secuti sunt jussum Pharaonis, sed Pharaonis jussum non fuit rectum.* Ex *genio*, qui semper est sequendus, cujusque *Linguæ*, in quam aliquid transfundimus, illud quoque prognatum, quod ב tanquam כ *similitudinis*, decrescente nonnihil *Orationis* serie, venditat Nam plus intendit *prius*, quam *posterius*. Utrumque ob oculos habuisse videtur *Erud. Gussetius*. Scribit in *Comment*. L. E. *pag*. 111. *Observatur apud Ebræos duplex* ב, *nempè* ב inhærentiæ, & ב veritatis *sive* identitatis, *quod minus frequens est*; perinde *ut* כ *non modo est* similitudinis, *sed &* identitatis *aut* veritatis. *Exemplum* ב veritatis *lucalentissimum vides Ex*. VI: 3. Apparui Abrahamo בְּאֵל שַׁדָּי in Deo omnipotente, *q d. in attributis omnibus, quibus Deus ut Deus utque omnisufficiens concipitur indutus, quamquam non satis hæc Latina periphrasis identica est, pro vi contextûs.* Roget vero jam aliquis, quid ergo differant ב & כ! Id, quod *corpus*, & *corporis* repræsentativum, *umbra* scil. כ nempe *simplicem comparationem*, ב *ipsam rei naturam*, *veramque* ejusdem *conditionem* continet; quamvis *subtilior* hæc *distin-*

ctio

ctio non ſemper, non ubique locorum, obſervetur. Teſtem provoco *Abu'lolam*, Moarrenſem, Tenochitam, cujus in القصيدة non procul ab initio habemus:

وقلت الشمس بالبيد بنبر
ومثلك من تخيل ثم خالا

Dicaſque ſolem in deſerto eſſe inſtar auri!
At tui fuerit *ſimilis*, *qui imaginatur inibi nævum.*

§. III. Obſervari nihilominus ſæpiuſcule, quis inficias iverit! cujus, ſi *ſolidum* aliquod atque *expreſſiſſimum* inveneris *veſtigium*, memoriam non amittas, jubeo, *Originem* veritatis, quam in lucem traho, à *perſona*, in *quam* aliquis ſe induit, aut *quâ* quis inducitur, ductam, propagatamque, nobis equidem, videri. Unde liquere poterit, verbi cauſa, quantus ſit nervus in formula apud *Eſaiam Cap.* XL: 10. הנה ארני יהוה בחוק יבוא Ubi *Junius* & *Tremellius* nimis dilute: *contra robuſtum venturus eſt*. Longe felicius alii: *in fortitudine veniet*; quod ex ſententia *Franciſci Forerii* huncce funderet ſenſum: *cum fortitudine*, vel *firmitudine*, & obfirmato animo, quaſi omnem difficultatem evicturus, & *omnem poteſtatem extollentem ſe dejecturus*, *ut reducat inobedientes ad obedientiam fidei*, & debellet univer-

niversam tyrannorum *potestatem.* Nihil addo; substituo tantum pro: *in fortitudine*, non: *in forti*, ut plerisque placuit, sed majori cum emphasi: *utique*, *revera fortis*, hoc est: *fortissimus* & *maxime potens*, *veniet*; quod *Linguæ Idiotismo* congruentius. Similis in *Alcorano* plus vice simplici occurrit *structura*: الله بقدير quæ itidem adfert: *Deus est in potenti*, Latinius: *maxime potens*, *potentissimus*. Eandem ferme constructionem offendimus *Eccles.* VII: 11. כי בצל החכמה בצל הכסף Hanc *Pagninus* latine reddidit: *Quia in umbra sapientiæ*, & *in umbra argenti*. Subintelligi vult: *requiescit homo*, vel uti *Mercerus* loqui amat: חוסה האדם *sperat homo*. Idem intendunt *Tigurini*, quorum est: *Nam pariter quis sub umbra sapientiæ*, *& sub umbra pecuniarum cubabit.* Nec longe abiit *Junius*, struens: *Nam* alii *in umbra sapientiæ*, alii *in umbra pecuniæ* sunt. Longius tamen *Geieras*, vestigia *Megalandri* sui *Lutheri* sequutus: *Nam* (*ita* se habet τὸ *esse*) *sub umbra sapientiæ*, (*sicut* se habet τὸ *esse*) *sub umbra argenti* vel *divitiarum*; quod ita explanat: *Esse sub* protectione sapientiæ, *est esse* sub umbraculo argenteo; *vel*, protegi *aut* recreari *à* sapientiâ, *æque gratum ac proficuum est*, *ac* protegi *vel* recreari *à* divitiis. Hos, aliosque *sensum* non male assequutos esse, ingenue profitetur *Cl. de Dieu*; verum, quum *Ellipses* statuant *duriores*, & ב in בְּצֵל non, pro *in* aut *sub*, solùm,

lùm, verum etiam צֵל pro *nomine* in regimine *posito*, accipiant, duplici ratione *hos scopulos*, idem *Vir doctiss.* vel per: *Nam pro umbra est sapientia, pro umbra est pecunia*; vel per: *Nam umbra est sapientia, umbra est pecunia*, evitare conatur. *Prius*, sensu si eodem, quo *Belgarum* circumfertur: *De wysheit is tot eene schaduwe, (ende) het geld is tot eene schaduwe*; hoc est: *Sapientia est in umbram, (&) argentum est in umbram*; produxerit in scenam, *Salomonis* mentem egregie exprimeret. Secus *illud*, ut obscuriuscule, imo duriuscule *dictum*, seposuerim. *Posterius* satis arridet, ultròque se omnium animis insinuat. Magis tamen rideret adhuc, majorique cum jucunditate impleret aures, si secundum *stilum* elegantiorem, *id*, quod directe alias per *nominativum* exprimitur, nunc, ad *interiorem rei conditionem*, *verumque statum*, indicandum, τὸ בצל *in'umbra*, hoc est; *utique, nil nisi umbra*, captatum esse, credideris. Intellige sis, *umbraculum*, *tutamen*, *validumque vitæ præsidium*, quod ,vera licet *præponderante sapientia*, revera *utrumque* præbet atque offert. Huic usui τὸ צֵל sponte sese adplicuit. Cui affine est hocce quotidiana in *Oriente* tritum consuetudine: ظلّ السلطان كظلّ الله sive צל חשלטון כצל האלהים *Umbra Regis est sicut umbra Dei.* Ad eandem rationem *Musaffered-*

F

reddinus Abubeker, filius *Saadi*, filius *Sengi*, apud *Sadium* in *Guliſtan pag.* 11. ظل الله في الارضة *Umbra Dei in terra*, κατ' ἐξοχὴν vocitatur. Poſſes quoque *idem* צל ad *evanidum* quid, quod *ſibi*, *aliiſque*, per *ſapientiam*, per *argentum*, *illudat*, ac denique *evaneſcat*, applicare. Verum tamen ut fatear, *Orationis nexus*, *ſerieſve*, ab iſto *conatu*, te revocabunt. Ego interim lubens, volenſque Te ad *Pſalm* XXXIX: vocaverim; ubi divinum Vatem *Davidem* loquentem audimus *Vers.* 7. אַךְ־בְּצֶלֶם יִתְהַלֶּךְ־אִישׁ

Profecto, *in imagine*, ſive *umbra quadam evaneſcente*, *ambulat vir*. Id, de *vanitate vitæ humanæ*, quæ *meris imaginibus*, atque *rerum umbris fallacium*, quales *honores* ſunt, *divitiæ*, *voluptates*, &c. &c. eſt circumcincta & perpetuo quaſi illuditur, haud ſecus, ac aliquis, *falſis viſis* & *formis vanis* in *ſomno* deludi, ſeſeque abripi, patiatur, ab *Interpretum noſtrorum* longe plurimis, exponi, non negabis. *Unus* tamen & *alter* hinc *diverſus* abivit; quorum conamina, apud *Cl. Hackſpanium*, alioſque, qui ad haſce metas ſudarunt, clare ſatis conſignata, ſi tanti fuerit, reperies. Nullus dubito, quin ex *cunctis* tibi *ullum* magis arrideat, quam, quod in ב tanquam *Similitudinis nota*, acquieſcit: *Profecto*, *tanquam imago*, *umbræ adinſtar*, *ambulat homo*. Huic menti addictum *Lutherum*, quum *Geierus*-

Geierus censuerit, ב legisse pro כ, audacter nimis *id* pronunciasse, mihi equidem videtur. *Nam* (verba sunt *Francisci Vatabli* ad h. l.) *quidam Codices habent* ב *similitudinis notam pro* ב *præpositione*; Quamvis, nec *sententiam* κατὰ πόδα sequamur, multo minus *emendationem* tutc recipiamus. Fraudi fuit rarior usus τȣ̃ ב nusquam vel repertus, vel saltem agnitus; quem, si heic quoque loci, sedem suam in *ipsissima hominis conditione* obtinere, exploratum habuissent, nunquam se spinis hisce compunxissent; sed ῥῆσιν ipsam multo elegantiorem, stiloque Poetico longe conjunctiorem, absque ullo dubio, in medium dedissent. Quo pacto, τὸ בצלם *in imagine*, hoc est, *nil nisi imago*, sive *primis umbris & lineamentis expressa quædam species*, ad *quemlibet hominem* sese directe referret, qui, quantumvis sit נִצָּב in summa, scilicet, *constitutus* dignitate & potentia, tantisque *firmatus* opibus, ut *nihil* plane ejus statum labefactare valeat, tamen, dum in hoc *mundi theatro* vitam suam transigat, nil nisi *imaginem* quandam huc illuc *oberrantem*, *evanidamque umbram*, sibi, aliisque illudentem ac in totum tandem evanescentem, repræsentet. Ferme idem, tribus, quod ajunt, verbis, pulchre jam expresserat *Illustris Grotius*, struens: *abit homo velut imago somnii*, atque illo *Sophoclis* admirabiliter firmans:

Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς ȣ̓δὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
Εἴδωλ', ὅσοι περ ζῶμεν, ἢ κȣ́φην σκιάν.

Locus exſtat in *Ajace vers.* 125. &c. Contendas quoque velim *Copioſiſſimum Euripidem*, qui in *Phœniſſ.* haud minori grandiloquentia ita incedit *vers.* 1538.

> Πολιὸν αἰθέρος ἀφανὲς εἴδωλον,
> Ἢ νέκυν ἔνερθεν, ἢ πτερὸν ὄνειρον.

Obſcurum idolum heic cernis loci, atque *volucre ſomnium.* Utrumque reſidet ſub noſtro צֶלֶם cujus *Radix* in *Bibliis* deperdita צָלַם in *Arabum* ظلم, *Samaritanorum* ࠑࠋࠌ, *Æthiopum* ጸለመ, atque *Syrorum* ܛܠܡ, genuinis *Hebrææ Linguæ* Dialectis, adſignificat: *Obſcurus fuit*, & quidem, *levi & umbratili ſpecie.* Talem, tum in *imagine* primis umbris atque lineamentis *expicta*, tum in *ſomniorum viſo*, rerum mox evanidarum umbra, ſeſe præbere conſpiciendam, pro certo habemus; Quamvis ego *obſcuri* illud atque *umbroſi* pro primaria, eſſentialique τῷ צלם notione, neutiquam reputaverim, *noſtræ Radicis*, quam *Hebræis* nolle reddere, non eſſet prudentiæ.

§. IV. Sunt bene multa alia loca, quæ per hanc *miram* τῷ ב *emphaſin*, lucis ſentiunt acceſſionem & gratiæ. Verbi gratia *Job.* IV:19. *Jam vero habitatores domuum luti, quorum fundamentum eſt pulvis.* In *Hebræo* eſt: אֲשֶׁר בֶּעָפָר יְסוֹדָם *quorum in pulvere eſt fundamentum*

eorum

eorum; hoc eſt: *nil niſi merus pulvis.* Optime *Symmachus:* ὧν γήϊνος ὁ θεμέλιος. Intelligeſis *illud*, cui homo *ſuum* debet *ortum*, de quo *Moſes* ita *Gen.* II: 7. *Et finxit Jehova Deus* האדם עפר מן־האדמה *hominem pulverem terræ.* Sed quum, tum *hujus*, tum *aliorum contextuum*, proclivis ad jam prælibata ſit applicatio, & ego *Lectori meo* non diffidam, ſponte *intimam* & *veram rei*, de *qua* ſermo inſtituitur, *conditionem*, in *Particula* ב ſenſuro, verbulum adjeciſſe amplius, foret putidum. Id tantum dicam, *uberius* atque *liquidius* multo textûs noſtri, nunc relucere lumen nativum, quod ſubdit: *Apparui ego*, qui ſum יהוה Jehova, *Abrahamo Iſaaco & Jacobo* באל שדי *Deus*, non: *vaſtator* à *Rad.* שדד, non: *Jaculator* ſive *fulminator* à notione *Syro-Chaldaica Them.* שדה, non: *ſufficiens* à ש & די contracto ex שהדי, ſed utique: *omniſufficientiſſimus*, qui οὐδενὸς προσδεῖται, qui ſibi non tantum αὐτάρκης, ſed omnibus quoque creaturis, quæ, bonum, quo beentur & expleantur, appetunt, omni ſublata inopia & egeſtate, *uberrimus* & *maxime irriguus*, exiſtit. Eſt enim non *ſubſtantivum*, ſed *adjectivum*, cujus formam ex *Conjug. Pibbel* τῦ שַׁדַּי *Arab.* ثدب hoc eſt, ſecundum *Dialectum Hebræorum* שָׁדָה *irriguus fuit*, *uberi maduit vena*, ſic ut *præ copia manaret*, plane ἀναλογῶς eſſe deductam, obſerves. Ita ut *nomen hocce*, ſi proprietatem *verbi* retentam velis,

lis, ab *irrigua*, *perenni* ac *exhausta nunquam ubertate*, quam *omnisufficientiam Dei* appellamus, *maxime irriguum* atque *madidum*, ad omnia, quibusdam veluti *mammarum uberibus*, sustinendum, & *infinita* complendum *felicitate*, proprie sonuerit. Uno verbo, per *uberrimum*, à simplici *uber*, haud ineleganter expresseris. Hoc enim *ejusdem* plane cum *nostro* שַׁדַּי esse *originis*, atque *uber*, *κατὰ συγκοπὴν* ab *uveo*, *uvesco*, quod est, *humore madeo* & *diffluo*, pro *uviber*, nunc proferri, quis in dubium vocaverit!

§. V. Ingeniosissimus *Matthæus Hillerus* opinatur, *Φράσιν* inter וארא באל שדי & נודעתי שמי יהוה *nihil* intercedere *discriminis*, atque *utramque* ex æquo significare: *Deum edito nomine ipsum se manifestare*, contendit in *Onomastico Sacro* pag. 249. seqq. Addit quoque *Vir Doctus* ib. pronomen לָהֶם non ad *Israelitarum patres*, *sed* ad *Israelitas* ex Ægypto *deducendos*, respicere; fidem facientibus *Dei* verbis, quæ leguntur *Ezech.* XX: 5, 6. atque Orationis serie, hunc ferme in modum, constituta: *Apparueram quidem Abrahamo, Isaaco & Jacobo, in* EL SCHADDAJ, id est, *coram præsens majoribus vestris edidi nomen meum, nomen primi*, id est, *ejus, qui fons & origo omnium rerum*, &c. *At nomine meo Jehova in juramentum assumto, nondum innotui* ILLIS, *quos oneribus Ægyptiis levabo*, *Israelitis*, &c. Hoc quid *veri* habeat, quid *falsi*, nunc non disputo,

Ex-

Expositionem tantum isti fundamento superstructam, ut *implicatiorem* simul & *argutiorem*, quam præsens patitur materia, abjudicarem. Cave tu in *inani sono* vocabulorum אל שדי & יהוה hæreas, *priori* Patribus ante Mosen quidem *notissimo*, sed *posteriori* iisdem plane *ignotissimo*, vel saltim, non *pari*, quo *Mosi* Prophetæ *gradu*, *cognito*. *Interrogatio*, quam alii adferunt, τῷ לא adspicientes tanquam: הלא *nonne! annon?* nimis quoque est exilis. De *interna vi* & *efficacia* nominis utriusque hic loci agi, res non minus est notissima, quam certissima. *Prius* ad *nudas* tantum *promissiones* spectat; *posterius* autem יהוה earundem *complementum* continet, atque *rebus*, ut ita dicam, *coronidem* imponit. Quorum utique summa non alia esse potest, quam: *promittentem me quidem illis audiverunt terram Canaan & crediderunt, sed opere promissa complentem non viderunt, quemadmodum tu visurus es.* Id omnium clarissime à Cl. *Coccejo* nostro in *Lex.* fol 176. insinuatum esse, non negabis. Verba ejus sunt: *Non cognitum se patribus nomine Jehova*, sed *in El Schaddai*, significat, *ipsis quidem promissiones datas esse, quas, nixi potentia ipsius, acciperent; atque ita se illis nihil hactenus indicasse aliud, quam se velle & posse eas promissiones implere: nondum autem indicasse aut testatum esse atque prædicasse, se id fecisse, quod nomen* Jehova *importat. Nam id nomen notat* factum, *non* potentiam *solam. Veritatem igitur promis-*

 sio-

sionum eos non vidisse, nam nomen quidem Jehovah auditum erat, ut Gen. XV: 7. *& aliis locis. Jam vero Israelitis Deus volebat* innotescere nomine Jehovæ; h. e. *prædicatione veritatis; non quidem statim omnis impletionis promissionum; sed tamen, ut, quod statim facturus erat, esset argumentum totius implementi.* &c. &c.

§. VI. Hoc unico vocabulo יהוה consignatum, habet aliquid, in sinu suo, reconditi, quod *magnos* hujus dicti *sensus* attendentibus, haud displicebit. Scilicet, *formam* ejus absque ulla dubitatione ex *fut Kal* יְהֱוֶה sive יִהְיֶה *Thematis* הָוָה vel הָיָה derivatam esse, adeoque secundum genuinam ipsius indolem, quæ non tantum *rem præsentem*, verum etiam, quodammodo *futuram*, repræsentat, proprie sonuisse: *eum, qui existit* ab æterno, *&* in omnem æternitatem *existet*, neminem credo futurum, qui ambigat, vel saltim, ob *luculentas*, tum *Exod.* III: 14. אהיה אשר אהיה *Fiam, quod sum*, tum *Apoc.* I: 4. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος ad *istud* nominis *allusiones*, non nisi præfracta fronte, ambigere posset. Amplitudinem hancce *existendi*, præter literam *Jod futuri* characteristicam, *Cholem* ad primam radicalem, & *Kamets* ante ultimam ה, *illud* quidem ut *præsentis*, *hoc* ut *præteriti* indicem, urgere infallibiter, *Jenensium* quondam *Philologus* haud incelebris *Danzius* in *Præfat.* ad *Paradigmata Nom. Simpl.* & *Verbor. Integra*, sibi fidenter admodum accredi postulat. Potuisset

ſet *Vir Doctiſſ.* hujus aſſerti *incommodum* ſentire ex *incommodo*, quod profert, *præſuppoſito*, ac ſi *Talmudiſtarum* collatio, (qua contendunt, *Blaſphemantem* illum, Viri Ægyptii è matre Iſraelitide filium *Lev.* XXIV: 10. ſeq *nomen* à *Deo* ipſo didiciſſe, neminemque *blaſphemiæ* æque reum fieri, niſi id ſimiliter ad ſonum יוֹסֵה pronunciarit,) *Vocales* ו & ־ *quatuor* hiſce *literis*, quas animant, à *Deo* ipſo, *Decalogum* de monte Sinai promulgante, additas fuiſſe, extra omnem dubitationis aleam collocaret. Sed mittatur *punctatio*, ſi velis, & ſtudioſe teneatur *literarum*, haud dubie τῷ אֲדֹנָי vocalibus *fœtarum*, *poſitio*, nihilque inde *ſignificationi auguſtiſſimæ* decedere, obſervabis. *Non ſunt eadem puncta nominis* אֲדֹנָי atque יְהֹוָה *nedum forma eadem*, reponit idem *Grammaticus*. Sed inſpice adjectam demonſtrationem: *Quum hoc à ſervili incipiat, à radicali illud*; & non tantum frigus, verum etiam meram ſenties glaciem. Inſtat adhuc: *Et, ſi foret; non illico una conformium adhibenda pro altera, ne pro* ſapiente *obtineas* ſtultum, *cum tam* חָכָם *quam* סָכָל *formæ ſit ejusdem.* Recte vero; nec, eam Veteribus *Judæorum* hic ſediſſe mentem, qui certo principio ducti, *Tetragrammaton* יהוה ut ἀνεκφώνητον per ſonum τῷ אֲדֹנָי exprimendum, ſuperſtitioſe inculcaverant, tibi perſuadeas, velim. Me enim vici-

niam cum iis colere, qui *mutuatitia* ex altera *Divini Numinis* appellatione אֲדֹנָי ei ſuppoſita eſſe puncta, ſtatuunt, pronunciaſſe haud erubeſco, & militare pro nobis, tum *Præfixa*, quæ ita ei accedunt, ac ſi י *Jod* poſſideret *Scheva compoſitum*, tum *alteram*, priori & infrequentiorem, & non, ad inſtar τῦ אֲדֹנָי ſed, ad inſtar τῦ אֱלֹהִים quum præcedat אֲדֹנָי punctatam atque punctandam *lectionem* יְהֹוִה (ne *bis* ſcilicet legatur: *Adonai Adonai*, ſed eleganter potius: *Adonai Elohim* varietur) quis præfracte negaverit!

CAP. XIII. *Vers.* 16.

והיה לאות על־ידכה ולטוטפת בין עיניך.

§. I.

Fugit adhuc *Philologiæ Sacræ* ſtudioſos *vera ſtirps* atque *origo* vocabuli אוֹת *ſignum*, quam non in אָתָה neque in אָתַת nec etiam in אוּת multo minus in יָאַת *Lexicographorum*, ſed

ſed duntaxat, poſtulante id *Dialectorum Orientis* Analogia Grammatica, in אָוָה ſive אָיָה hoc eſt, ſecundum priſcam *Linguæ Hebrææ* indolem אָוִי vel אָיִן quærendam, atque ſollicite veſtigandam eſſe, ſcias; indeque primò per ת ſervile à fine adjectum, abſolute אֱוֵית & אֱיֵית exiiſſe, ſed deinceps contracte אֵיוֹת & אֵוֹת (quale quid in *Arabum* آيَةٌ pro أَوِيَةٌ per عَلَامَةٌ itidem *ſignum* declarato, in hunc uſque diem regnare video) & adhuc contractius, ad molliorem, ſuavioremque ſonum adhamandum, ab *Hebræis* pronunciatum fuiſſe אוֹת, in poſterum cave te lateat.

§. II. Fefellit quoque *formæ* & *derivationis* ſimul *raritas* & *amplitudo*, quæ per ת *ſervile* à *fine* adjunctum, & *duplicatum* ט in *medio* poſitum, *quinqueliterum* hocce טוֹטָפֹת tribus *Legum Moſaicarum* pericopis, haud ineleganter inſeruerat. Id tam *mirum*, tamque *peregrinum*, Eruditorum *nonnullis*, ab ultima uſque memoria fuiſſe viſum, ut, *vera* ejus *ſignificatio*, non ſolum, *Marino* judice, plane ignoretur, verum etiam, *genuinas* ejuſdem, tanquam *juncti nominis*, natales, eorum unus in *Africa*, alter in *Ægypto*, quæſitum iverit, unusquiſque, qui in *Veterum Scriptis* perveſtigandis, aliquam mecum collocavit ope-

operam, ultrò fatebitur. *Kimchius* profectò, *Talmudistarum* quorundam sequutus vestigia, ex *Ægyptiaco* TOT *duo*, & *Africano* PHOT itidem *duo*, esse *compositionem*, sibi persuasum habuit. Verba ejus in ספר השרשים sub *Rad.* טטף *cæca* ordinata, hæc sunt: אמרו טט בנרפי (potius בנפדי) שתים פת באפרקי שתים *Dicunt* Doctores טט *Chopticè esse duo*, & פת *Africanè it m duo.* Idem apud R. *Isaacidem*, sed paulo clarius, insinuatum deprehendes, qui ad *h.l.* ita: טוטפת תפלין ועל שם שהם ארבעה בתים קרויים טטפת טט בכתפי (melius legeretur בכפתי) שתים פט באפריקי שתים *Totaphots sunt* תפלין *sic dicta, quod quatuor domos habeant; Siquidem* טט *in Caspia* (melius *Cophto*) *est duo*, & פת *in Africa* itidem *duo significat.* Legi enim: טט בכפתי שתים פת באפר'קי שתים in *Sanhedrin* 4: 2. & *Menachot* 34: 2. *Edit. Venet.* & *Amstelod.* Vir Πολύγλωσσος *Edmundus Castellus* in *Lex:* suo *Heptagl fol.* 1456. me docuit. Scisne *Etymologiæ* rationem! Hæc *bis duo cellulas*, certis quibusdam, tum *Exodi*, tum *Deuteronomii*, dictis sententiosis, implendas, in *Phylacterio* præsertim *frontis*, Ἰεδαικῶς, hoc est, inepte καὶ περιεργῶς, omnino requiri, fidenter asseveraverat. *Illustrem Scaligerum*, cui τὸ טוטפת *vox* mere erat *Ægyptiaca*, quæ *Amu-*

Amuletum significat, in *eo* certe mereri assensum, quod notet, *Amuletum significare*, expressissimis verbis, adstruente id, *nominis* tum *potentia*, tum *superstitiosarum gentium* circa *Amuleta* observatione, *Samuel Petitus*, suæ, ex *Lingua Hebræa*, redditurus, *compositioni*, fundamentum, *Variar. Lection. in Sacr. Script.* *Cap.* XX. publice profitetur. *Certum est*, inquit, *atque indubitatum apud Veteres in amuletis fuisse præcipue* γελοῖα τίνα *atque inter ea maximè pudenda, quæ variis è rebus efformata appensa gestabant* ἐπὶ φθόνȣ ἀποτροπῇ, *unde factum est, ut* fascinum *de pudendis dicatur. Hujusmodi gentium* φυλακτηρίοις *noluit Deus suos Israelitas uti, quod assueverant facere, ut videtur, dum inquilini in Ægypto servirent, & Ægyptiorum superstitiosis amuletis frontem muniebant: sed potius vult, ut decalogum in membranulis descriptum in frontibus gestent; sitque illis vice Ægyptiacorum* amuletorum לטוטפות εἰς φυλακτήρια. טטפת *vox est composita, meo judicio, ex voce* טוט *unde* טיט, *quod* lutum, limum *significat*, & פות *unde* פות, i. turpitudo, pudendum. *Hinc petenda est originatio vocis* פתכרא, *qua utitur Syrus Paraphrastes extrema Johannis Epistola I. in vertendo* τῶν εἰδώλων *nomine: Nam vox est composita ex* פות i. pudendum; & כורא fornax; *quasi dixeris* pudendum fornacis. *Est igitur* טוטפת pudenda è luto efformata: *quia autem in amuletis erant ista maximè, factum est ut* טטפת *generaliter significet quodvis* amuletum,

tum, *sive* φυλακτήριον. Hæc *imago* quantopere adblandita fuerit *Viro Docto*, ejusque præstrinxerit oculos, ex statim ei *subjuncta pericopa*, quæ, infelicem admodum, tum τῶν הפלין per τὰ γελοῖα *interpretationem*, tum vocabuli ἀσάλευτα, quo *LXX. Seniores*, emendando quasi in ἀζάλευτα, atque ἀπὸ τῆς ἄζας καὶ τοῦ ἀλεύω derivando, utuntur, per *appensa* αἰδοῖα ἐπὶ ἀποτροπῇ, *expressionem*, adfert, intellige sis. Quo ipso, ceu evidenti, video jam comprobatum, exemplo, nihil *infelicius* esse homini, quam *felix ingenium*, ubi aliquid *lutoso* ex *fonte* haurire, aut *fundamento nimis fluxo* exædificare molitur. Temperarunt nonnihil *luxurians* hocce, qui *Thema* נָטַף cui: *stillandi*, & figurate: *sermonem Dei destillandi*, subjacet notio, in subsidium vocarunt; ac si טוטפות pro נוטפות positum: *Destillatoria* proprie *sermonum Dei*, sonuerit Apud *Celebrem Judæorum Doctorem Aben Esram*, hujus *sententiæ probationem* simul & *refutationem*, reperies. Is ita in *Comment.* ad h. l. אין למלה הזאת ריע במקרא והמכחישים אמרו שהוא מגזרת והטף אל דרום וזה לא יתכן כי שורש הטף נטף וזה חסר נון וכפול הטית *Vox hæc similem in Scriptura non habet: Verùm falsum dicentes statuunt, eam derivari ex illo:* והטף אל דרום (*Ezech.* XXI: 3.) *quod*

quod tamen non quadrat. Radix enim τῶ חטף *est* נטף : *Hæc vero vox caret Nun & geminatum habet Thet.* Paulo clarius idem insinuavit R. *Aharon ben Joseph*, cujus in *Comment. Literal.* in V. *libros Mosis*, ad *h. l.* sunt : אין דומה לטוטפות וחכמינו פירש׳ מן ודט׳ אל דרום לשון סבוב והטף כענין · ועלימו תטוף מלתי · מבעלי הנון · וטטפות מבעלי הדומין ואילו היינו סומכים כדרכי השרתות היה מתהלך הט׳ת בנון קרוב מלשון הנטיפות מין תכשיט יתאוה האדם לחוותו *Nihil simile* τῷ טוטפות reperitur. *Sapientes autem nostri id exponunt ex loco :* והטף & stillare fac versus meridiem, *ex significatione*, sc. circuitionis, ambitus. הטף *idem hic notat quod in illo :* & super illa stillet verbum meum (*Job.* XXIX: 22.) *ex verbis Nun.* טוטפות *autem est ex verbis, quæ unam radicalem alteri similem habent. Sin innitamur regulis servilium literarum, dicendum est* Thet *permutatum esse cum* Nun : *ita ut hæc vox proximè accedat ad vocem* הנטיפות, *quod species ornamenti est, quod homo inspicere desiderat.* Ita certe *Es.* III: 19. *&c.* usurpari videtur. *Karaitam nostrum* respexisse simul ad *Chaldæorum* טוף vel טיף *inspicere*, ex addita explicatione: מין תכשיט יתאוה האדם לחוותו liquidissime liquet. Non multum equidem, quum *forma* נטיף

נטיף & in *pluralitatis numero* נטיפות ex *Conjug. Nipphal* commodiſſime queat deduci, repugnarem, niſi *Arabum*, genuina *Matris Hebrææ* Dialectus, tale quid, *non* utique, ſub طَـاف טוף *ſed* ſub نَطَفَ נטף cujus نطفة *i. q.* قُرْطٌ *Inaurem*, item *Margaritam puram* vel *parvam*, nec non تنطيف & منطفة *Inaures*, *indutam*, *iisve ornatam* puellam, tibi exhibet, aſſumſiſſet, invitanteque *ipſa Linguæ indole* produxiſſet. Sed inſpicias velim *illud*, quod, idem *Karaita Ben Joſeph*, ſtatim ſubjunxerat: וכן לא יאות *hoc tamen non convenit*, & vide, ne diſſentias.

§. III. Qui enim *Linguæ analogiam* paulo attentius mecum perpenderunt, non utique pronunciaverint, *vocabulum* טוֹטָפֹת ejus eſſe *conditionis* atque *naturæ*, ut, *vel* ad נָטַף, *vel* ad טָפַף quod ex artifice *Avenarii* manu profectum, notionem *typos formandi*, *ſignumve inſculpendi referens alicujus rei typum*, poſſidet, *vel* ad numeroſam ſatis in *Bibliis* extantem ſeriem *Nominum pluriliterorum*, quæ *compoſitio* fabricavit, atque *diverſis* è *Radicibus* conflavit, tute referetur ac ἀναλογῶς, ſed è contra, tum *formam*, tum *ſignificatum* vocabuli ejuſdem, exigere potius, *pluriliterum aliquod ſimplex*, hoc eſt, per *duplicatam unius*, *ejuſdemque Thematis literam*, oriundum, atque ſub טוף *med. rad*

rad. quiesc. aut טָפַף *med. rad. deficient.* investigandum, ut assumeretur, sedulo inculcaverint. Est enim haud dubie *Plural. fœmin.* à *Sing.* טוֹטָפָה sive טוֹטֶפֶת, cujus *Mascul.* טוֹטָף, concipias, ad instar כּוֹכָב *stella* ex כּוּב vel כָּבַב itidem productum, moneo. Talia in *Conjug. Pihhel*, & quidem *Active* כִּבְכֵּב & טִפְטֵף, *Passive* autem כֻּבְכַּב & טֻפְטַף ex æquo admittere, abunde doceat *Grammatica*, atque *posterius* hocce, priori פ extrito, ut in כֹּכָב sic etiam טֹטָף ad molliorem scil. pronunciationem captandam, esse iterum conformatum, non est, quod dubitemus. Utrumque, varie à variis jam tentatum, invenio.

§. IV. Major *Interpretum* pars *Clar. Hottingerum* sequitur, qui vestigia *Santis*, aliorumque legens, exposuit *frontalia*. Observaverat ille *Lib.* I. *Smegm. Orient. pag.* 160. טאף, cui טוטפת suos debent natales, esse *circumdare*, indeque appellata fuisse: *quod frontem & manum sinistram circumeant*, conjecerat. Hoc *Analogiam Grammaticam* admittere, *Doct. Pfeifferus* pronunciat in *Dubiis* suis *Vexatis*. Subjungit quoque: *Nam Radix* טאף *repeti potest ex Arabismo*, *unde geminata prima radicali oritur vox Totaphoth*. Quid mentis habuerit, satis assequor. Eo tamen ipso *Analo-*

giæ ſatisfactum *Linguæ*, nego ac pernego. *Arabum* enim طَاف pro طَوَفَ idem q. جول *gyravit*, *circumivit* &c. ad quod reſpicitur, ſi quis, per טָאף *Hebraice*, expreſſum vellet, næ is, *Harmoniam*, quæ inter geminam hancce *Dialectum* intercedit, non attenderet, ſed ſatis craſſam ſimul imperitioribus objiceret nubeculam, quo minus tali conamini, ſubſcribere, vel tuto poſſent, vel jure debeant. Prudentius proinde multo, atque circumſpectius *Nicolaus Fullerus*, cujus *Miſcell. Sacror. Lib.* V. *Cap.* VII. hæc ſunt: *Obſcura & parum nota eſt* טוטף *nominis Hebræi originatio. Mihi certè maximè conſentaneum rationi videtur ex Arabica lingua peti, quæ Hebraicæ Dialectus eſt altera: quippe Arabibus verbum eſt* טוף circumire *denotans. Unde dictum conjectemus* טוטף, *nempe quia* frontem, brachiumque circumire, *eisque ritu Judaico* circumdari *ſolet*. Ultimum illud: *brachiumque*, abeſſe debuiſſet, quippe, *quod* jam *phraſi* על-יד אות incluſum, ad טוטפת pendentia, potius בין עינים *inter oculos*, quam *frontem* cingentia, ſolum ornamenta, hoc eſt בין ריסי עינים inter *angulos oculorum*, ut ſcribitur in *Targum* ad h. l. ſeu eo loco, שמוחו של תינוק רופף *quo cerebri infantis eſt palpatio*, ſecundum *Gloſſam* ad *Maſſ. Taan. fol.* 16. *col.* 1. de novo non reſtringendum erat, iterumve applicandum.

§. V.

§. V. Imagini huic paulo pressius, nonnullos eorum, qui, invitante itidem *Analogiæ Grammaticæ* indole, ad מטפף recurrerunt, inhæsisse, nobis equidem videtur. At *nulla sic compensatio geminatæ* ט objiciebat *Cl. Pfeifferus Tom. I. Oper.-Philol. pag.* 120. Hoc, quid sit, nescio. *Geminatæ* פ si legendum, *Dagesch forte*, quod ex *constanti Linguæ usu*, ob excidentem priorem literam פ, τῷ ט, ut videbatur, inferi debebat, desiderari, pronunciabis. Id, *ex infantili pronuntiatione*, excidere potuisse, *Rev. Gussetius*, qui ad טף *puerulus*, dum *incessum* formare discit, respexerat, indeque *frontalia* pueris *alligari* solita, quando *incedere* tentant, ne *cadentes* lædantur, exsculpserat, in *Comment. Linguæ Ebraicæ* firmiter tenet, aliisque penitus persuadere conatur. Vide, obsecro te, verba, quæ ibi *pag.* 301. concepta, sic resonant: *Reduplicatur prima radicalis, id sonat blanditiem, sic enim voces infantium tremulas & incisas cum iis effingimus, dum docemus* incedere. *Inde autem utilis allegoria emergit* ad frontalia populi *infantiæ ætatem agentis.* Dagesch forte *tamen debuerat in* פ scribi, *excidere tamen potuit ex* infantili pronuntiatione, *facilitatis & mollitiei causa.* Nihil hic sani: quicquid tetigeris, nimis est molle & manui plane cedens; quod facile ab eo propulsabit quod disputatum modo fuit, atque è tenebris protractum, indeque *Analogiæ Linguæ*, non *infantilem* utique *pronuntiationem*;

nem, sed solidum illud, quo, pro *duriori* כְּבָב *mollius* כּבָב fuit conformatum, ex facili supposueris. Quid alii *Virorum*, qui *Verbum med. rad. deficiens* similiter in oculis habuere, hic viderint, suave sagacitate fuerint assequuti, cum ipsorum sileant meditamenta, dicere non habeo. Denominationis autem rationem τῶν טוֹטָפֹת *dupliciter* à טָפַף *incessit*, vel, quod *gestentur*, vel per contrarium, quod *loco non moveantur*, institui posse, monuit *Cl. Schindlerus* in *Lex. Pentagl. col. 699. Posterius* illud, rem Hebræam, mirum in modum, implicans, indolique omnium Linguarum adversa fronte contrarium, lubens volensque sepofuerim; quamvis *Interpretes Alexandrinos*, qui ἀσάλευτα, quasi tu *immobilia* vel *inconcussa* dicas, *immobilitatem* horum monumentorum inter oculos, atque, aciem ingenii nunquam inde deflectendam, fortasse insinuantes, reddiderunt, ut sibi admodum faventes, idem *Vir Doctus*, in subsidium vocaverit. Hos enim, si *Johannem Saubertum* in *Palæst. Theol. Philol. pag.* 102. sequutus, ἃ σαλευτὰ *ea, quæ moventur*, scripsisse, statueris, eorum *auctoritatem*, non pro *posteriori*, sed pro *priori ratiocinio*, quod licet obscuriuscule: *quod gestentur*, subdebat, fortiter militare, jure deprehendes. Intellige sis: *ornamenta*, quæ, vel, in *incessu agitarentur*, atque *ad motum corporis move-*

ve-

verentur, cum *Camerone* in *Myroth. Euang. pag.* 166. vel, quibus, *plodendo scilicet ad frontem*, homines subinde, ad omnes *ictus*, singulosque *pulsus*, tanquam campanulis, *legis* & *praeceptorum Dei*, admonerentur, ut *Forsterus* mavult in *Diction. Hebr. pag.* 300. Quod forte alii etiam præhabebunt, atque, ni ego fallus augur, quem nonnulli hinc probatum volunt, usitatum quondam inter Hebræos morem *suspendendi monile* quoddam in *fronte* inter *oculos*, ut de re *aliqua*, cujus *recordari* vellent, *admonerentur*, in memoriam simul revocabunt. *Judiciosus* tamen *Lector* non facile subscripserit. Nimis enim argutatur hocce acumen; quod ut *simplicitati*, ita & *veritati*, qua *prius* illud, quod in *solo motu*, *solave agitatione* pedem fixerat, non artificialiter, sed haud dubie naturaliter pollet, multum cedet.

§. VI. Cui, per genuinam τῦ טָפַף potestatem, quæ *crebram pulsationem*, per ὀνοματοποιΐαν forte effictam, inque *Arabum*, cum sub طَفَّ tum sub دَفَّ *agilis fuit, pedes, manusque movit agiliter*, nec non *Syrorum* ܛܦܛܦ *crepitavit* flamma, cujus *Conjug. Ethpah:* ܐܬܛܦܛܦ *ejusmodi sonum Tap Tap edidit*, directe præfert, in hunc usque diem, conservatam, *Dialectis*, suo gremio complectitur, *majus* adhuc *robur* ac *firmamentum* infundi posse, æquus rerum arbiter

 non

non negaverit; sed, lumine hocce adjutus, à *continua*, *agilique pulsatione*, Ornamenta quædam *frontem cingentia*, quorum *partem quandam pretiosiorem*, vultibus suis, hominum ditiores, imponebant, aut *suspensam* ex tiara capitis funiculo, indeque *descendentem* intra *oculos* usque ad nasum, tenebant, טוֹטָפוֹת ac si *pulsantia* diceres, fuisse appellitata, jure affirmaverit. Hæc, unico, quod ad *Originem*, commodo vocabulo, *Latine*, ut videtur, haud expresseris. Eundem *defectum* in אות על - יד *signo super manum*, non obscure senties; licet, ex Orationis *nexu*, *indoleque Phraseos*, *armillam*, vel simile quid, intelligi, juste colligas. Utrumque sub *τῶν* תְּפִלִּין significatu, qui non *appensa*, aut *adhæsilia*, sive potius *alligabilia*, quasi *Aquilæ*: ἰνεκτὰ fuerint, à תָּפַל pro טָפַל, sed *Precatoria*, subintellige *instrumenta*, à פָּלַל tibi offert, *Chaldæorum* Paraphrastes, *Onkelosum* scilicet & *Jonathanem* secuti *Principes Rabbinorum* exprimi sancierunt; indeque *distinctionem*, quæ תפילין של ראש *Precatoria capitis* inter & תפילין של יד *Precatoria manûs*, intercedit, in vulgus derivarunt. Haud absimile quid in Φυλακτηρίοις *Pharisæorum Matth.* XXIII: 5. non, quod *Dei*, ejusque *legis* & *mandatorum* memoriam servarent, sed quod

super-

superstitio Pharisaica vim malorum avertendorum & *fugandorum* præsertim *dæmonum* iis attribueret, à φυλάσσω sic dictis, admissum fuisse, unanimis *Eruditorum* suadet sententia.

§. VII. Quæ licet unanimiter *originationis* & *significationis* τῶν φυλακτηρίων *veritati* litare studuit, circa *eorundem* tamen *ordinationem*, alterâ *divinam*, *humanam* alterâ, defendentibus, in *partes*, ut voluit, sic etiam debuit, sese dividere planissume *contrarias*. Non *heri*, non *pridie*, talem *dissensionem* natam fuisse, sed *qualem* ab ultima usque memoria, haud sine maxima *animorum* contentione, inter ipsos *Judæos*, viguisse, fixasque egisse radices, cave, te ignorare, profitearis. *Divinam* qui propugnabant eorum *institutionem*, erant בעלי הקבלה *Traditionarii* sive *Rabbanitæ*. Hi *contextum* nostrum, eique haud *absimiles*, huc itidem pertinentes, alios, κατὰ ῥητὸν accipientes, *duplex instrumentum coriaceum*, quatuor hisce *Exod.* XIII: 3. — 10. & 11. — 16. item *Deut.* VI: 5 — 9. nec non XI: 13 — 21. *Pentateuchi* pericopis implendum, sicque, *fronti* alterum, alterum *manui sinistræ*, applicandum, mirifico acumine, inde exsculpserant. Inter *Christianos*, qui *huic acumini* subscripsere, non *unum* & *alterum*, sed *plurimos*, maximæ etiam auctoritatis, *Viros*, id si ageretur, in scenam producere possem. Vir utique summus *Josephus Scaliger*, omnes omnino huic *expressissimæ Legi* subjacere non solum *Judæos*,

 verum

verum etiam, Dominum nostrum *Jesum Nazarenum*, ideo quoque non minus, quam ipsos *Pharisæos*, gessisse *Phylacteria*, sibi accredi, postulat. Evolvas quæso *Elenchum Tribæresii*, ibique *Cap.* VIII. *Collectionis Triglandianæ Tom.* I. *pag.* 394. invenies: *Neque minus Dominus noster Jesus Christus* Phylacteria, & *fimbrias gestavit, quam Pharisæi. Omnes omnino* hoc *facere tenebantur* disertis verbis legis. *Aliter tanquam* legirupæ *lapidibus obruti necarentur. Et miror tanto viro* Hieronymo; *tam alienam à mente Mosis, à veteri* Judæorum & Samaritarum *consuetudine, sententiam excidisse. Nam Christus non quidem* Phylacteria *damnat, quam Lex illa præcepisset, & ipsemet, ut alii omnes Judæi, ea gestaret, sed* ambitionem *Pharisæorum exagitat, qui, ut supra alios sanctissimi esse viderentur, ac legis præceptorum observantissimi, ea* latiora, *quam reliqui Judæi gestarent. Quod* dilatarent *igitur, non quod* ferrent, *hoc in illis, hoc est* ambitionem, *non* observationem *damnavit Dominus.* Respicit *Virorum Maximus* ad *Hieronymiana* variis locis adsperſa *Interpretamenta*, quorum summam, tribus, quod ajunt, verbis: *Nullum fuisse præceptum, quo Judæi ad Phylacteria obligarentur*, communicaverat *Nicolaus Serarius* in *Tribæresio Lib.* II. *Can.* 61. *pag.* 41. Uberiorem *hujus* ex *Glossematibus*, quæ ipse *venerandæ antiquitatis Pater* textui *Matthæano* subjecerat, tibi pandas conspectum, haud fuerit inutile. *Dominus cùm dedisset*, inquit, *mandata Legis per Mosen, ad extremum intulit,*

Liga-

Ligabis ea quasi signum in manu tua; eruntque & movebuntur inter oculos tuos, &c. *Et sensus est:* Præcepta mea *sint in* manu tua, *ut* opere compleantur; *sint* ante oculos tuos, *ut* die *ac* nocte mediteris in eis. *Hoc Pharisæi malè interpretantes, scribebant in membranis Decalogum Mosis, i. e. decem verba legis: & complicantes ea, & ligantes in fronte & quasi coronam capiti facientes, ut semper ante* oculos moverentur. *Quod usque hodie Indi & Babylonii faciunt, & qui hoc habuerit, quasi religiosus in populis judicatur.* Et mox. *Pittaciola illa* Decalogi Phylacteria *vocabant, quod quicunque habuisset ea, quasi ob custodiam & munimentum sui haberet, non intelligentibus Pharisæis, quod hæc in* corde portanda *sint, non in* corpore. *Alioquin & arcæ & armaria habent libros, at notitiam Dei non habent. Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ in parvulis Euangeliis & crucis ligno, & istiusmodi; quæ habent quidem Zelum Dei, sed non juxta scientiam, usque hodie factitant, culicem liquantes, & camelum deglutientes.* Dicti *veritatem* præter *Fagium, Clarium, Vatablum, Hackspanium,* alios, *Illustris* quoque *Hugo Grotius* agnovit, cujus ad *idem Matthæi caput* exstat: *Nihil aliud jubentur Israëlitæ, quàm beneficia liberationis ex Ægypto & præcepta divinitus data animo infigere, non minùs, quàm quæ memoriæ causâ in manibus gerere, aut ob oculos nobis ponere solemus.* Neque se huc conferre dubitabunt, qui eandem *Vetustissimis* in populo Dei *Dogmatizantium Ka-*

 rai-

raitarum, vel ex *propriis* eorum *monumentis*, vel ex ipsa *Rabbanitarum* de iisdem *confessione*, sedisse *opinionem*, pulchre perspexerint.

§. VIII. Hi enim, uti *genuina Judæorum*, qui nil cum *Pharisæis*, nil cum *Sadducæis*, nil cum *reliquis*, Ecclesiam Doctrinæ corruptæ fermento jam imbutam, in pejus adhuc scindentibus *factionibus*, commune habebant, sed verbo *Mosis* ac *Prophetarum* fidem suam, omnibus traditionibus Magistrorum, eorundemque novationibus in totum repudiatis, unice alligabant, erant *Soboles*, ita quoque, *divinam* non utique, sed *humanam* horum *Phylacteriorum* ex male *Sacri Codicis* verbis intellectis effictam *institutionem* crediderunt, *verbaque* ipsa, non proprie, sed μεταφορικῶς explicanda, ad posteros propagari, haud immerito, sancierunt. Unicus *R. Aharon* filius *Josephi* omnem *impleverit* paginam. Is, *Commentarii* sui *Literalis*, qui *anno Ch.* 1294. in *Quinque Libros Mosis* stilo satis puro exaratus fertur, ad והיה לאות *Exod. cit. loc. Excerptorum Freyanorum pag.* 17. consignaverat : אילו היה בעבור התפילין הוו נזכרים לעיל ואז והיה אם כן הוא כמ' הנזכר בפרש' הנקדמת למען תהיה תורת יוי בפיך כי ביד· וכן כי בחוזק יד ·ובתורה רבים כזה · פתוח תפתח את ידך · ופרשו השמלה · וכן הזכירו חכמים כי זה כמו כתבם על לוח לבך · ואין כל דברי שלמה משל

משל עד שיצדק הנוטן כי כן אמ׳ משלי שלמה ·
לא שוב משלי רק שמדמה דבר לדבר · ואם אמר
קשרם על אצבעותיך יורה על התמדת העיון
וההשגחה התמידית · ואם איננו כפשוטו הנה הן
על כפים חקותיך · שמורה על ההשגחה
התמידית · ואין הפרש בינו ובין ושמתם את דברי׳
אלה · ובעבור היות האדם בנפש וגוף נזכרו הדברים
בתוכן הראוי להם להיות בין חיצון ובין פנימי ·
והותקן בלשון לספר בהפלאת הדברים והנה כאש׳
נשקיל הדבר במאמ׳ זולתו וידומה׳ הנה הוא כיוצא
בו · אם אמת ואם מעבר וכל דבר אש׳ ישקל
על פי ראיות ברורות איך נמיר אותו · ולמד לאות
ולטוטפות במקום כף הדמיון *Si hoc dictum est propter Precatoria, jam supra memorata sunt, ubi habetur*, & tunc erit. *Quod si ita est, eodem modo se habet, quo id quod Parascha præcedenti dictum fuit :* ut sit Lex Domini in ore tuo, quia manu *&c. & sic:* quia in fortitudine manus *&c. In lege plurima his similia; ut :* aperiendo aperies manum tuam : *&* expandent vestimentum. *Sic memorarunt sapientes hoc eodem modo intelligendum esse, quo illa.* Scribe ea super tabulas cordis tui *Prov.* III: 3. Pone me ut sigillum super cor tuum. *Cant.* VIII: 6. *Nec omnia verba Salomonis parabolica sunt, eo quod*

quod sic dicitur, Proverbia Salomonis, *ut hoc modo hic opponens defendi possit. Non hic ulla est allegoria, nisi ut assimilet unam rem alteri. Et cum dicit:* alliga ea digitis tuis, *indigitat* continuam considerationem & jugem curam. *Si id non intelligendum ad literam, en illum locum Esai.* XLIX. 16. En in manibus sculpsi te. *Quod innuit* continuam providentiam *Nec ulla est differentia inter hoc & quod dicitur :* & ponetis verba illa. *Et quandoquidem homo constat* anima & corpore, *narrata hæc sunt eo ordine, qui observari debet quoad exterius & interius. Expressio quoque ita fuit instituta, ut notaret* distinctionem rerum. *Cum hoc perpendimus comparatione institutâ cum aliis, videtur hoc eodem modo ac illa se habere; sive nunc sit veritas, sive falsitas. Omne verò claris rationibus expensum, quomodo possemus id immutare!*

§. IX. Vide, *continuæ considerationis & jugis curæ* Præceptorum Legis *summo in honore, recentique semper memoria* habendorum, *imaginem* haud ignobilem. Eandem, sed subtilius diductam, ad *præced. vers.* 9. jam expinxerat, idem *Karaita noster*. Verba sunt :

והיה לך לאות' שלא תשכחנו כי היד היא לצורך האדם וכן העינים הם המורים לאדם לכל דבר והרגש העינים נכבר ונזכר היד כי בחזק יד והעינים וראה את הדם על המשק' על כן יהיה לזכרון בין עיניך כאילו עכשיו נהיה ותהיה תורת יוי

יוי בפיך לספר בכל זמן וזמן אך הוציאך יוי ממצרים וג'ו *Et erit tibi in ſignum: ne illud oblivioni mandes*; manus *enim ad* neceſſitatem hominis *eſt. Sic etiam* oculi *monſtrant illi* unamquamque rem, *illorumque ſenſus pretioſus eſt. Mentio autem fit* manûs *propter illud dictum:* quia fortitudine manus eduxi te *&c. &* oculorum *propter illud:* & viderit ſanguinem in ſuperliminari. *Propterea erit in* memoriale inter oculos tuos, *quod intelligendum, ſicut id, quod jam præceſſit:* Et erit Lex Domini in ore tuo ad narrandum omni tempore, quomodo eduxerit te Deus ex Ægypto. *&c.*

§. X. *Poſterius*, quod *figuratæ* huic ſubſerviens *locutioni*, *priori* in *exemplo* adductum cernis, τὸ למר הדמיון h. e. *literam* ל *ſimilitudinis notam*, & τῷ כ *quaſi* vel *ſicut* examuſſi reſpondentem, exhibebat. Nihil profecto, *hac acceptione*, certius. Illum, qui *hanc* Veteribus Hebræorum minus *uſitatam* cauſari vellet *poteſtatem*, Arabes *Linguæ Paradiſiacæ conſervatorum Principes*, agmine exemplorum confutaverint. Unicum modo in præſenti veniam eblanditur. Id in *Mohammedis Alcorano* exſtat *Sur.* XXXI. ubi *Aj.* 19. conſignatum reperies: واقصد في مشيك واغضض من صوتك ان انكر الاصوات لصوت الحمير *Medium ſerva in inceſſu tuo, atque demitte quid de voce tua; nam ingratiſſima vo-*

vocum eſt לצות החמיר *ſicut, ad inſtar vocis aſinorum.* Recte proinde *Interpres Vulgatus*, edens: *Et erit* quaſi *ſignum in manu tua, &* quaſi *monimentum ante oculos tuos.* Senſus eſt: *Hæc* ad inſtar *talium tibi rerum erunt*; facta, cum ad *Brachialia*, tum ad *Frontalia*, quibus Iſraelitarum *Veteres*, ditiores præcipue *Virginum*, ſi non *quotidie*, *ſolennioribus* ſaltim *diebus*, ornatæ incedebant, jucunda alluſione.

§. XI. *Prius*, ex *inductione* quorundam *locorum* haud *abſimilem* loquendi *rationem* clariſſime inſinuantium, robur ſuum & firmamentum trahebat. Adjungas velim *Prov.* I: 9. *Nam* לוית חן הם לראשך וענקים לגרגרתיך *coronamentum gratioſum erunt* (eruditio *ſcil.* patris & lex matris) *capiti tuo, & torques gutturi tuo.* Porro *Prov.* VI: 20. *Conſerva, fili mi, præceptum patris tui, & ne relinquas legem matris tuæ*; קשרם על - לבך תמיד ענדם על - גרגרתיך *alliga ea ſuper cor tuum, adnecte ea ſuper guttur tuum.* Item porro *Job.* XXXI: 36. אם־לא על־שכמו אשאנו אענדנו עטרות לי *Profecto ſuper humerum meum portarem eum* (librum), *annecterem eum*, adinſtar *diadematis, mihi.* Simile in *Cent.* II. *Proverbiorum Arabicornm* maximam partem ex *Abu Ubeid* collectorum *Num.* XXII. occurrit. Habetur ibi: العلم تاج للفتي *Scientia eſt diadema puero.* Rem omnem *ſcrupulo* vacuam pronunciaverit *id*, quod *Deut.* VI: 8,

VI: 8. & XI: 19. ſtatim ſubjungitur. Utro-bique legas: וכתבתם על־ מזוזות ביתך וכ״ו *Et inſcribes ea*, quæ ſcilicet, vel *generatim* in lege Moſaica, continentur, vel quæ, ad Jacobidarum liberationem ex Pharaonis ſervitute, *ſpeciatim* pertinent, *ſuper poſtes domus tuæ* &c. Hoc literaliter accipi velle, eſſet τὰ σκάμματα ὑπερβαίνειν; niſi quis, neſcio, cui innixus fundamento, *omnes* omnino *domuum* Iſraeliticarum *poſtes* legalibus contextibus *inſcriptos* vel *inciſos*, ſibi confinxerit. Atqui tale quid, ipſi ne quidem *Talmudiſtarum Doctores*, hîc κατ' ὄναρ viderunt. Fidem faciat *R. Aharon*, cujus iterum ſolida ad *loc. cit. Deut.* VI: proſtat commentatio. Ea exhibet:

תמה אני למחזיקים הדברים בפשוטו איך הניחו ·
ובשעריך · אף שדרשו בחסרון ו״ו מזות על פי
דעתם היה ראוי הו״ו האחרון אפ״פ שאיך חשש
לחסר ולמלא כי אם לחסר דעת׳ ועוד אני תמה
לאומרי׳ שאין משל בתורה רק הרוה הצמאה׳ וכל
זה המאמר בדרך דמיון · ואמר ובשעריך · שיהיו
תמיד לנגד עינך בכל מוצא ומובא *Miror*

illos, qui acceperunt verba ad literam, intactum tamen reliquerunt ſequens: & in portis tuis; *cum tamen* מזוזת *per* ו *deficiens explicent. Nam juxta ſententiam illorum opus fuiſſet* ו *poſteriori, etiamſi*

etiamsi (scriptor) *nec in animo habuerit* deficiens, *nec* plenum, *sed tantum rem ipsam diminuere voluerit. Porro miror dicentes, nullam esse locutionem figuratam in lege, nisi in loco* Deut. XXIX. 29. *ubi agitur, de* inebriata *&* sitibunda; *Cum tamen universus hic sermo figurate sit sumendus. Dicit autem:* in portis tuis, *ut* scilicet. hæc præcepta *semper sint coram oculis tuis in omni egressu & ingressu.*

§. XII. Non est ergo quod miremur, *vetustissimos Judæorum*, quibus certior, interpretandi *Sacrum Codicem*, lux adfulserat, *proprie sic dicta Phylacteria*, nunquam gessisse; quamtumvis *Celebris suæ gentis Magister Aben Esra* tantopere ab hac *Metaphorica vocum explicatione* abhorruerit, ejusque *Auctores* tam graviter perstrinxerit. Scribit enim in *Comment.* ad *Deut.* VI: 8. אחר שקבלו אבותינו האמת נעזוב אלה הבוראים מלבם *Postquam reverenter per Kabbalam* sive *Legem Oralem acceperunt Patres nostri veritatem, relinquemus illos effutientes ex corde, quicquid lubet.* At inquies, *aliquid* in *fronte*, in *brachio gestare*, quod *legis observationem* alicui *in memoriam revocaret*, *ritus* erat *innocuus*, nihil *trahens*, quod *tollere* velis. Instare tamen desines, ubi, *malorum avertendorum* & *fugandorum* præcipue *Dæmonum*, à *superstitione* Pharisaica, *ei* attributam *potentiam*, ex *Cod. Babyl.* ברכות aliisque *domesticis* indiciis, observasse, *tibi* fuerit datum. CAP.

CAP. XIV. *Vers.* 27.

וישב הים לפנות בקר לאיתנו

§. I.

Dicti hujus ſumma eſt: *mare, cum aurora jam potenter emergeret, tum reverſum eſſe ad ſuum vigorem, fluxumque ſolitum, quo, nativus ille & inabruptus aquarum impetus, continuo quaſi æſtu fervet atque reciprocatur.* Hanc licet, *Interpretum* maximus, *nexum orationis, ſeriem,* aliaque *domeſtica indicia*, reſpicientium, chorus, *phraſi huic ſignatiſſimæ* שוב הים לאיתנו omnium ore, unanimique fere conſenſu, attribuerat, minima tamen *illorum* pars, ope atque genuino τῦ אֵיתָן auxilio, *eandem*, vel *confirmatam* in *ampliorem lucem* trahere, vel ad poſteros ut *Analogiæ Grammaticæ*, *indolique Linguæ* apprime *congruentem* propagare, valuit. Quicquid enim ex אִית quicquid ex אָתָה quicquid ex אָתַן artifice *Lexicographorum* manu elicitur, id omne, vago nimis atque fluxo innititur fundamento.

§. II. *Primum*, quum apud *R. Nathanem*, *Robertſonium*, *Coccejum*, *Guſſetium*, alios, *cæcum*, hoc eſt, *nulla*, quam, *vel* conjectan-

di acúmen, *vel* literarum affinitas, *vel* ſtudioſa *Dialectorum* inquiſitio, ſuggerit, *poteſtate* præditum, comparebat, ex *Syſtemate Hebraizandi Neumanniano*, nodo Gordio perplexabiliori, aliud adhuc præſidium circumſpiciens *Sagaciſſimus Alberti*, τῷ noſtro אֵיתָן ex *Charact.* אית & ן *propagativo*, ad inſtar τῶ בִּתָּן *compoſitæ vocis*, notionem *fortis & duraturæ in aliud quid ſe propagantis ſequelæ*, ſuppoſuerat, indeque hancce in *Porta Linguæ Sanctæ* pag. 45. ſummam effecerat: *Atque ſic communiter per* robuſtus, validus, potens *&c. vertitur, quæ haud inelegans eſt* roboris *atque* potentiæ *deſcriptio; cujus omnis & præcipua vis in eo eſt ſita, ut* conſtans *ſit &* conatum *conatui ſuperaddendo duret.* Eandem *radicem* אית, quam *Hebræi* perdiderunt, ob oculos habuerat *Doctiſſ. Kromayerus* de *Uſu Ling. Arab. pag* 131. adeoque, potentiæ *duri*, *robuſti*, *firmi*, &c. in omnibus *Lexicis* receptiſſimæ, firmandæ *ergo*, ad *Arabes*, qui *duplicem ſtirpem*, alteram أَأَنَ *med. Je* pro أَيَدَ *durus, firmus, validus evaſit*, alteram أَأَنَ *med. Vaw* pro أَوَدَ *incurvavit, gyravit, gravitate preſſit*, literis *unius organi* ת & ד alternantibus, in hunc uſque diem ſtudioſe conſervarunt, iter ſuum inſtituerat. Sed, *hanc*, credo, *unius organi literarum* ת *in* ד *permutationem*, facile *miſſam* feciſſet

fet *Diligentissimus Vir*, modo attentius paulo cogitasset, *Radices* אוד & איד *originis* atque *naturæ* unius ejusdemque, quæ, *curvationem* exprimeret, *fui*, non in אות, sive איתן, sed in אוד *torris*, *titio*, item in מאוד *valde*, &c. &c. reliquisse *vestigia*. Hæc, uti *nihil* cum אוֹת habeant affinitatis, ita quoque, toto, quod dicitur, cœlo, à *se invicem* diffideant, necesse est. *Alterum* אֶתָה *venit*, qui *Thema* posuerat, formæque אֵיתָן non per *Metaphoram*, vel per *Metonymiam*, vel per *Synecdochen*, sed per *Antiphrasin*, quæ utique *quasi quod iniri non potest* producebat, adplicaverat est *Johannes Forsterus*, cujus in *Diction. Hebr.* hæc sunt meditamenta: איתן *nomen tam substantivum & abstractum, quam adjectivum & concretum utriusque generis & numeri, & significat significatione contraria perennitatem, durabilitatem, vehementiam, pertinaciam*, id quod non initur, *imprimitur*. At solam *Antiphrasin*, κωφὸν illud φάρμακον, totum hocce *negotium*, illis, qui, quid *Linguæ* sint, & *quibus* fere *stirpibus* nascantur, dijudicare queunt, reddere *suspectum*, cave, neges. Castigatiores quidem sese præbuerunt *Lexicographorum* reliqui, *tertium* illud אֵתָן suspicientes, neque tamen, ob *formæ* tum *raritatem*, tum *amplitudinem*; ab illa *literarum agnatione*, vel potius *earundem allitera-*

teratione, *captanda*, ſatis ſibi temperare potuerunt. Duplex vulgo tenetur via. *Una* omnem auctoritatem ad *Arabes* deterebat. *Altera* ulterius jam proceſſerat, & non in *Arabia*, ſed in *Judæa*, in *Græcia*, ſuum circumſpexerat lumen. *Poſteriori* huic *methodo* inſiſtentem, *Johannem Avenarium*, doctiſſimum quidem illum & de re Hebraica præclare meritum, ſed cui ipſum illud, quo vigebat ingenium ſæpiuſcule impoſuit, evanidamque ſæpe numero umbram, pro ſolido corpore, ſuggeſſit, nominaverim. Viſne verba! En tibi: אתן *Durus* eſt, inquit, *vehemens*, *potens*, & *ſubſtantivè durities*, *vehementia. Cognationem habet cum* תַּנִּין *draco*, *piſcis magnus & potens in mari. Item cum* אֶדֶן *baſis firma & dura*, אָדוֹן *dominus*, *potens. Hinc* δεινός *gravis*, *potens*, *vehemens*, δείνωσις *vehementia. Item* δύναμαι *poſſum*, δυνατός, δυνάστης *potens*, δύναμις *potentia. Priorem*, meliorem ſimul & tutiorem, is reputaverit, viam, qui, vivum *Linguæ*, atque in *Arabia* præſertim ſub *literis radicalibus* اتن אתן florentem, *uſum ſtandi*, *conſiſtendi*, *in propoſito conſtanter perſeverandi* atque *pertinacem eſſe*, τῷ איתן aſſignare conabitur. Hunc, ad *inanimata* æque ac *animata*, bene quadrare *Cl. Majus Animadv. & Supplem.* in *Lexic. Coccej. p.* 7. exiſtimat. At, meo quidem judicio, non multum gratiæ & leporis

leporis, *pericopis*, ſecundum *conſiſtentiæ* & *pertinaciæ* notionem ita *concinnandis*, ſuberit. *Inanimata* vocat *mare*, *torrentem validum*, *montes præruptos* & *ſteriles convalles*; *animata* autem *homines*, qui *intractabiles ſunt* atque *immiſericordes*. Utrorumque *harmonia* hæc erat: *Loca aſpera* pertinacia *ſunt & culturam fere reſpuunt*; *Homines aſperi non patiuntur ſe facile* dimoveri à propoſito, *ſed* pertinaces *ſunt inſtar immobilis petræ, quæ* أَتَانٌ אֵתוֹן *Arabice* dicitur. Sed unde *literula Jod* tam pulchre *medium* occupans! Ea non eſt *Servilis*, ſed, hac quidem in ſede, *Radicalis*. Demto itaque *ſervili* & non *radicali* א *Aleph*, quod in *fronte* comparet, non ſane אֵתָן ſed יְתָן redire diceres.

§. III. At, quum nec *thema*, nec *veſtigium* talis *Thematis* deprehenderent *Viri* πολύγλωσσοι, alius alia circumſpicere coepere, & vel ex אית *fortem & duraturam in aliud quid ſe propagantem ſequelam*, vel ex אתה *durabile*, *intractabile*, quod *non initur*, quod *non imprimitur*, vel ex אתן *conſiſtentiam*, *pertinaciam*, *in propoſito ſuo perſeverantiam*, & quid non! aſſumſere, atque *quadrilitero noſtro* איתן attribuere. *Nicolaus de Lyra* ſcripſerat, quod *nomen proprium Deſerti* fuerit, aliâs אֵתָם *Num*. XXXIII. 9. appellati. Sed, *negligenter & incaute Orthographiam* adſpexit, *Reuchlini*, magni illius *Capnionis*, judicio, quod proinde *nomen proprium Al-*

 vei

vei Jordanis ſubſtituit, hac mente: *Cumque extendiſſet Moyſes manum contra mare, reverſum eſt primo diluculo ad priorem locum*, id eſt, *ad alveum conſuetum*, ſcilicet *Jordanis*. Præiverat jam *Aquila*, cujus eſt: εἰς τὸ ἀρχαῖον αὐτοῦ. Secutus erat *Hieronymus*, qui dat: *in priorem locum*.

§. IV. Ecquid hæc ipſa diverſitas *idearum* & ſententiarum fluctuatio, reponendæ *Radicis* יתן, arguit neceſſitatem! Utique ubi יתד, ubi יתם, ubi יתר, viguere, dubitari jure nequit, quin יתן & complura alia, ut יתא, יתב, יתג, יתה, יתז, יתח, יתט, &c. &c. &c. hanc *ſeriem* ſtruentia verba, viguerint tum, quum *Hebrææ Dialecti* amplitudo floreret & opulentia; licet nusquam forte locorum in *Bibliis* compareant, *veſtigiumque*, hic aut illic, expreſſerint. De noſtro quidem יתן, ſi quid video, ambigi nequit, quando *ſignatiſſima* præ manibus eſt *forma*, per א *ſervile* in principio poſitum, quod *comparativum* æque ac *ſuperlativum gradum* affert, evidentiſſime *inde* derivata. Nihil, in *Dialecto Arabum* hac *forma*, tritius, nihilque magis cognitum. Eam, ὁ Ἀκριβικώτατος *Thomas Erpenius*, literis ita conſignaverat *Lib.* III. *Gramm. Arab. Cap.* IX. *Comparativus* inquit *fit à poſitivo præfixo* أ; *eſtque formæ* أَفْعَلُ : *ut* حَسَنٌ *bonus*, أَحْسَنُ *melior*; صَغِيرٌ *parvus*,

vus,

vus, أَصْغَرُ *minor*; حَبِيبٌ *charus*, أَحَبُّ (*pro* أَحْبَبُ) *charior*; *habetque post ſe* مِنْ, *ut* أَعْظَمُ مِنَ ٱلْمَلِكِ *major rege. Si abſolutè ponatur, aut in regimine, ſuperlativus eſt; ut* أَللّٰهُ أَعْلَمُ *Deus eſt ſcientiſſimus*; أَحْسَنُ ٱلنَّاسِ *optimus hominum.* Adjungas velim hocce *Abu Jaapharis Ebn Tophail* in *Epiſtola* de *'Hai Ebn Yokdhan pag.* 2. قال الشيخ الفقيه الامام العالم الفاضل الكامل العارف ابو جعفر بن طفيل رحمة الله عليه الحمد لله العظيم الاعظم القديم الاقدم العليم الاعلم الحكيم الاحكم الرحيم الارحم الكريم الاكرم الحليم الاحلم الذي علم بالقلم علم الانسان ما لم يعلم *Inquit Doctor Sapiens, antiſtes, ſciens, præſtans, perfectus, eruditus Abu Jaaphar Ebn Tophail, Laus Deo Magno,* אעצם *Maximo, Antiquo,* אקדם *Antiquiſſimo, Scienti,* אעלם *Scientiſſimo, Sapienti.* אחכם *Sapientiſſimo, Miſericordi,* ארחם *Miſericordiſſimo, Beneſi-*

nefico, אכרם *Beneficentissimo*, *Benigno*, אחלם *Benignissimo*, *qui docuit usum calami*, *qui docuit hominem illud*, *quod non novit*. Eandem *superlativi* potestatem, *Hebræis* quoque restituendam esse, atque postliminio in *vocabulis* aliquot male habitis, agnoscendam, non est, quod neges. Tale à *rad.* כָּזַב erat אַכְזָב *Jerem.* XV: 18. & *Mich.* I: 4. Sunt, qui *mendacium*, sunt, qui *frustrationem*, reddunt *substantive*. Neutrum placet. *Mendacissimum* enim *adjective* sonat. Similiter à כָּזַר exstat אַכְזָר *Deut.* XXXII: 33. *Jerem.* VI: 23. &c. Vertitur : *Crudelis*, *ferox*, *sævus*. Nihil muto. *Gradum* tantum *superlativum*, qui, *crudelissimum*, *ferocissimum*, *sævissimum*, vi & cæde grassantem *hominem*, dabat, substituerim.

§. V. Sed ignoratur, inquies, in *hodierno nostro*, quo *Linguam Hebræam* circumscripsere *Grammatici*, *ambitu*, quid *notionis* obliteratum istud יחן gesserit! Enim vero *ignoretur* necesse est, quamdiu intra *unius libri* cancellos *hæc*, *e* concluditur *Lingua*. An propterea, hacce in *laudabili palæstra* elanguescendum, ipsumque *Thema* יחן tanquam *adulterinum* eradicandum! Non sane; pro canæ antiquitatis *gemmula* potius suspiciatur, & retineatur quam studiosissime, licet forte adhuc minus intelligatur. Est enim nobis, cur speretur, *ignoratam* hactenus *potestatem* feliciter satis *pandi* posse, si *unius Linguæ Orientalis*

talis, per *Hebræos*, per *Chaldæos*, per *Syros*, per *Arabes*, per *Æthiopes*, per *Samaritanos*, in hunc usque diem, *asservatæ*, rite excutiantur scrinia. Ubi, cave, prætervolet, non *unam* semper, *eandemque literam* in Διαλέκτοις respondere *alteri*, quæ *ejusdem* tum *soni*, tum *valoris* est, sed sæpiuscule, *hanc* paulò mollius, *illam* vero paulo durius, pro *diversitate* locorum *Terræ Orientalis*, in quibus vivitur, pronunciari. Hinc *verba*, quæ apud *Hebræos* ab *Elemento* י *Jod* ordinarie incipiunt, ab *aliis*, haud infrequenter, *Arabibus* præsertim atque *Æthiopibus*, per *scabrosius* ו *Vaw* enunciantur, atque efferruntur. Exemplo sit ירש *hæres fuit*, cui *Arabum* ورث & ወረሰ *Æthiopum* consonat. Sic etiam pro ישב *sedit*, utrorumque *Lexica* وثب & ወሰበ producunt. Quin ירד *descendit*, constanter ورد *Arabice* & ወረደ *Æthiopice*, exaratur. Idem, *tum* in ירק *tum* יתר usu venit. *Posterius* est وتر & ወተረ *Prius* autem per ورق & ወረቀ variatur. Habe adhuc יחיד *unicus*, *solitarius*, quod similiter cum وحيد & ቀሐደ coincidit. Proinde non miraberis, quo pacto יָתַן & וָתַן ipsorumque *propagines* אֻוּתָן & אֵיתָן sede

in una, morentur, seque invicem illustrent. *Hujus* derivati, à *Lexicographorum* facile *Principe Coccejo*, per *rumorem, fluxumque aquæ* definitam, atque tribus, tum *nostro*, tum *Psalm.* LXXIV: 15. & *Amos.* V: 15. pericopis, adplicatam proprietatem, sollicitare, inque *ejus* locum *impetum validum*, surrogare non debuisset *Doctiss. Majus*; quum *Coccejanum* illud *proxime ad veritatem accedat*, *& satis feliciter sit conjectum*, judice *Celeb. Schultensio*, cujus *Lib.* I. *Orig. Hebræar. pag.* 239. hæc sunt: יתן *proprium locum tenet* in aquis perenni vena præditis, *atque inde superlativa illa forma* איתן *ex origine sua semper & unice sonat*, maxime perennem, & inexhausta vena præditum.

§. VI. Non sane calculo suo adfirmasset 'O Πάνυ *Schultensius noster*, neque significationem *perennitatis & perpetim fluentis*, sub *Themate* יתן tanquam *formalem* ad omnes *usus secundarios* liquidissime *respondentem*, in publicum expromere, vel ab aliis propagari ac commendari, voluisset, nisi *Arabes*, qui nunquam *Radicis hujus* יתן sive وتن memoriam obscurari aut evanescere passi sunt, sed quod *Matri Hebrææ* olim retulere acceptum, *id* se ei, nunc rependere posse, seriò triumphant, *eam* extra omnem dubitationis aleam, collocassent, omnibus *Sacri Codicis* locis, quæ *eandem* vel *proprie*, præter modo citata, *Deut.* XXI: 4. frequentant, vel *improprie Job.* XXXIII: 19. XII: 19. *Gen.*

Gen. XLIX: 24. *Mich.* VI: 2. &c. &c. admirabiliter insinuant, concinentibus. Horum omnium *excussionem*, debitaque in luce *positionem*, totum *Caput* VIII. *laudatissimi Libri*, suaviter implere, *æquus rerum arbiter*, haud immerito, judicaverit. Sed quid sibi vult *Glossa?* quæ in *Lexico Goliano* principem locum occupat. Sonat: *Læsit in* وَتِين *i. e. vena cordis.* Eam à *genio* abhorrere *Originis suæ*, vide ne, nos cogitare, putes. Expectes potius paulisper, neque desiderabis ordinem. Scilicet وَتِين prop. *forma pass. participialis* est نياط القلب *vena cordis*, vel, *de qua cor manet suspensum*, quæ, ut & *Chald.* וותן *nervus*, pecul. *testiculorum*, à *perennitate* nomen trahens, notionem *affectus* & *læsionis* in illo *subjecto*, quod وتين exhibebat, sub ipso iterum *Verbo Radicali* وَتَنَ assumserat, deque novo propagaverat. Nec mirum. Solent enim *Arabes*, cæterique *Orientis* populi, à corporis *membris*, formare *potestates verbales*, quæ *læsionem* & *affectum istarum partium*, exprimant. Sic sane ab أَنْفٌ אַף *nasus*, est أَنَفَ אָנַף *percussit in naso*. Sic à شِرَاكٌ שְׂרוֹךְ *corrigia calcei*

cei, provenit شَرَكَ שְׂרֹךְ *corrigiam ruptam habet calceus.* Sic سَرَّ שָׁרַר *læsit*, *confoditve in umbilico*, eſt à سُرّ שֹׁרֶר quod *umbilicum* notat. Aliud ſpecimen præbeat كَشْلٌ כֶּסֶל *lumbus*, cujus *ſecundarium* inde productum exhibet كَسِلَ כָּסַל *in lumbo fuit affectus*, impropriè: *torpuit*, *ſegnis & ſtolidus fuit*. Tale quoque eſt رُحْم רֶחֶם *uterus*, σπλάγχνον, unde رَحِمَ רָחַם propriè: *in utero affectus fuit*, *laboravit ex utero*, vim *miſericordiæ* & *flexanimitatis*, quæ *uteri* ac *viſcerum* eſt commotio, hodiedum, in *Sacris* æque ac *Profanis*, obtinet. Deſinam in شَغَافٌ שַׁעַף quod eſt περικάρδιον, *membrana cor undique ambiens & tanquam involucro tegens*, cujus *Thema* شَغَفَ dat *læſit in pericardio*, & *metaphorice: captus eſt amore*, q. d شغفه الحب *pericardiavit eum amor*, ſive *pericardium ejus ingreſſus eſt amor*. Hoc, apud *Giggeium* ex *Camuſo*, effertur: شغف الحب قلبه *illius cor intimo affectu*

affectu corripuit amor. Idem, sed *brevius* enunciatum, in *Alcorano Sur.* XII. reperies; ubi *Aj.* 31. exstat : امراة العزيز تراود فتاها عن نفسه قد شغفها حبا *Uxor excellentissimi illius appetit puerum suum ab anima ejus. Utique ille corripuit eam amore.*

§. VII. Teneas itaque quam religiosissime *nostram* cum *Radicem* יָתַן tum *formam* ex *illa* productam *superlativam* אֵיתָן & vide, num *certius*, num *aptius*, num *sonantius*, num *Linguæ genio congruentius* quid, pro *sensu*, quem, unanimi *Doctissimorum Interpretum* consensu stipatus, supra posui, *firmando*, inveniri possit, quam *Rediit mare*, non utique Substantive: *ad perennitatem suam*, sed Adjective: *ad τὸ perenne*, sive potius: *ad τὸ perennissimum suum.* Subintellige sis *æstum*, *fervoremque*, quo *perennissimus ille* atque *interruptus* maris *impetus*, qui, non ex *una parte*, sed ex *utroque latere* murorum ad instar, per *ventum Orientalem fortissimum* ad id impulsus, adhuc steterat cumulatus, nunc *fervere*, suaque iterum *aquarum volumina* reciprocare, incipiebat. Id, egregia, quæ ילך הים *abiit mare* inter & שוב הים *rediit mare*, medium ambulat *oppositio*, sua sponte insinuaverit. *Prius* enunciatum videas *Vers.* 21. qui ita resonat. ויט משה את-ידו על-הים

וילך

ויולך את-הים ברוח קדים עזה כל-הלילה וכ"ו *Posterius* paulo adhuc plenius *Vers.* 26. jam per וישבו המים על-מצרים וכ"ו consignatum extabat; quod *Vers.* 28. sic repetitur: וישבו המים ויכסו את-הרכב וכ"ו. *redierunt itaque aquæ*, quibus nempe vena erat perennis, & identidem, quum jam exhausta videri posset, recursans atque exuberans, *& operierunt currum* &c. Thema enim שוב *Arabice* ثَابَ pro ثَوَبَ in *aquis* contritum, *confluendi*, *exuberandi*, *intumescendi* ac *effervescendi*, elegantem, nemini que ignorandam obtinet potestatem. Unde etiam שָׁב ثايب *rediens*, absolute nonnunquam, pro *æstu sæpius redeunte*, ponitur; quod apud *Cl. Golium* est *fol.* 453. *æstu intumescens*, *seque in littus effundens* aqua maris. Plenam φράσιν in *Thesauro Giggejano* invenies. Exstat ibi: الثايب من البحر. Vertitur: *aquæ maris*, *postquam eruperunt ad littus.* Ad verbum esset: *rediens maris.* Huc allusum, cum *alibi*; tum præsertim infra *Cap.* XVIII. 11. ubi reperio: כי בדבר אשר זדו עליהם *Loci faciem*, tu, missis ambagibus, sic pande, & omnia erunt in vado: *Quoniam illud ipsum*, *quo* ad puerulos Israelitarum aqua perdendos *turgentes ira intumescebant*, *super iis*,

iis, *tanquam pœnæ debitum*, *graviter* nunc *incumbit*. Hanc enim poteſtatem *huic* ineſſe *figuræ*, ſupra ad *Geneſin*, poſtquam veram *Radicis* זור indolem, quæ *in aquis cum tumore efferveſcentibus*, vel *cum fervore intumeſcentibus*, ſimiliter ſita eſt, adſpexeram, ſubmonere jam incœpi; profeſſus quidem, me, aliâs τȣ̃· עליהם per *ſuper iis graviter incumbit* declarati, rationem redditurum, ſed, cujus nondum mihi tempus adfulſiſſe opportunum, ſcias.

§. VIII. Ecce tamen adhuc aliud, quod, uti in tempore ſuccurrit, ita quoque ex *nativa* noſtræ *Radicis* יתן *origine*, novam lucem, eamque genuinam, fœnerari, ſuſpicor. Hoc non male ſedet 1 *Reg*. VIII: 2. ubi legas: *Congregati itaque ſunt ad Regem Salomonem omnes Iſraelitæ* בְּיֶרַח הָאֵתָנִים *in menſe Haëthanim*. Dictum eſt haud adeo liquidum. *Rabbini*, *noſtrique* in eo congruunt, *Menſem ſeptimum*, qui *noſtro* partim *Septembri*, partim *Octobri* eſt reſpondens, hodiedum תִּשְׁרִי *Tiſri* vocatur, hac *appellatione*, innui. Non compertum habuiſſent, niſi *id* per ſtatim ſubſequens הוא החדש השביעי *Hic eſt menſis ſeptimus*, ἐξηγετικῶς diductum vidiſſent. Mens *Chaldæi Paraphraſtis* hæc eſt: בירחא דעתיקיא דקרן ליה ירחא קדמאה וכען הוא ירחא שביעאה וג"ו *In menſe veterum*, qui

qui illum vocabant mensem primum, &c. Nunc autem est mensis septimus. Recte monet *Sagacis nasi Interpres*, fuisse *mensem primum*; ad antiquissima mundi tempora, quibus *menses*, solo *primi*, *secundi*, *tertii*, *quarti*, &c. &c. distinguebantur nomine, oculos, ut conjicio, conjiciens. Rectissime quoque adnexum video: כען הוא ירחא שביעאה Quod de *Anno Sacro* sive *Ecclesiastico*, cujus *septimus mensis* erat *Tisri*, qui alias, respectu scilicet *anni civilis* sive *politici*, principem occupabat locum, intelligi vult. Communem tamen in eo errat errorem, quod ex *notis*, *τὸ ignotum* ירח האיתנים per ירחא דעתיקיא explicare, aggrediatur. Pollicem premunt, quicunque *asperi*, *duri*, *horridi*, *robusti*, *validi*, *fortis*, *potentis*, &c. inbiberant *notionem*, illamque formæ איתן, nemine refragante, assignaverant, quamvis varie applicent, atque illustrent. *Rabbinorum* nonnulli, eorumque vestigiis multi *è nostris* inhærentes, per *mensem fortium* sive *potentum*, hoc est, honorabilium & magnarum *solennitatum*, quæ in eo erant celebrandæ, interpretantur. Verba faciat *R. Abarbanel*, qui ad *h. l.* ita: הוא חדש תשרי שבו אוספים הפירות · וידמה שנקרא החדש השביעי ירח האיתנים לפי שבו המועדים חזקים ומישרים אל השלמות · כי בו יום תרועה היום הכפורים וחג הסכות *Hic est mensis Tisri*, *in*

quo

quo colligebant fructus. Videtur autem mensis septimus appellari ירח האיתנים *quia in eo*, prævaluerunt solennitates, *atque ad perfectionem contenderunt. Nam eo in mense Dies erat Clangoris, nec non Dies Expiationum & festum Tabernaculorum.* Non tamen omnis *Natio Rabbinica*, tum tempestatis, ita calculos ponebat. *Kimchius* quippe, longe aliud, in *suo* suspicatur *Commentario.* Locum inspicienti hæc occurrunt: שבו אוספים הפירו והתבואות לבית כמו שנקרא חג האסיף לזה הטעם וכן איתנים לשון חוזק האיתנים שהתבואות והפירות חיי האדם Mensis est, *in quo congregantur fructus & proventus ad domum, sicuti, alias* חג האסיף festum collectionis, *hanc ob causam, vocatur.* Et sic τὸ איתנים *in significatione* חוזק *roboris* accipiendum, *quoniam, per* proventus & fructus, *vivat homo.* Altius scandunt *Talmudici* in *Cod.* ראש השנה sive de *Principio Anni Novi.* Hi *Patriarchas*, qui in *Tisri* censebantur nati, huc advocaverant. Rationem, *Verbis Kimchianis* brevissime expressam, hanc habeas: מרבו ז"ל שאמרו חדש שנולדו בו אבות הם איתני עולם כמו והאיתנים מוסדי ארץ *Inter Rabbinos nostros beatæ memoriæ sunt, qui affirmant*, quod *mensis sit, in quo nati*

I fue-

fuerunt Patriarchæ, *qui* איתני עולם *fortes mundi sunt*; *quemadmodum* legitur: *Et vos* האיתנים five *fundamenta terræ*. Toto cœlo hinc diſtat *Cevallerius*, ex cujus opinione *Menſem fortitudinum* ſive *virium*, quod videlicet *tum omnia ad maturitatem & ſummum incrementum pervenerint*, vertere poſſes. Molliit rem & aliquanto *plauſibiliora* prodidit *Coccejus*, ſcribens: *Fortaſſe ſic dicitur*, *quia curſus omnium hoc menſe incipit invaleſcere*. Paulo aliter *Cl. Stockius*, qui *Conjecturæ Coccejanæ* ſubjungere jubet *vel aſperior & durior fieri*.

§. IX. Audio; nec plane *nihil* eſt: quamvis *proprietas* Linguæ, in *perenni* ac *perpetim fluenti*, fixa, ferme *in totum* obſcuretur, & in *nihilum* quaſi redigatur. Quæ utique effloreſcat, priſtinoque ſuo ſplendori ac honori reſtituatur, neceſſe eſt, ſi, pro *Menſe ſolennitatum*, pro *Menſe* item *fructuum & proventuum*, nec non pro *Menſe Patriarcharum*, quin etiam pro *Menſe horridorum*, &c. &c. *Menſem perennium*, ſive potius *perenniſſimarum*, ſubintellige *aquarum*, ex ſolido ſubſtitueris. De cujus *veritate*, vel ſaltim *probabilitate* eo minus dubitandum, quo magis ſummam τῦ איתן opportunitatem inde perſentiſces, atque nihil pulchrius *hac imagine*, conſignantiusque nihil, ad *iſtum Anni articulum* in *natura ſua* repræſentandum, invenies. Ad *crebros* & *perenni* quaſi *vena præditos*, hoc quidem in *menſe* cadentes, *imbres*, vel ad *fluviorum* etiam

ac

ac *torrentium omne genus*, quod tunc, quum pleno velut alveo abundat, ſuo *vigori*, ſuoque nunquam *exhauſto fluxo*, reſtituitur, oculos intendo. Utrumque, cum *Verbi* indoles, tum humidior *Autumni*, nubes reſolventis in *aquas*, ex æquo admiſerit; tempeſtas. Pro *priori uſu* non militat *Latinorum* vocabulum *September*, quod, juxta *Priſciani* & *Iſidori* cogitationem, eſt quaſi *Septimus imber*. Militat tamen, quo uſque hodie *Judæi* utuntur, vocabulum תִּשְׁרִי *Tiſri*, cujus ex *Themate* שָׁרָה propagatam atque per ת *ſervile* ab initio auctam formam, *Menſem pluvioſiſſimum*, hoc eſt, qui in præſenti *pluvias exſolvit nubibus* & in poſterum *exſolvet*, uno nomine *continuo ſolventem*, proprie ſonuiſſe, non eſt, quod dubitemus; quum *Verbi Analogia*, quæ in origine שָׁרַן vel שָׁרַי *Arabice* ثري item *Æthiopice* ተረወ tibi ſiſtit, *genuinaque* ejusdem, in *ſolvendo*, quod *Græcorum* λύειν eſt, primariò frequentata *poteſtas*, ſumma illuc ſponte dimanet, ſeque liberaliſſime diffundat.

CAP. XXV. *Vers.* 20.

יהיו הכרבים פרשי כנפים למעלה
סככים בכנפיהם על־הכפרת
ופניהם איש אל־אחיו אל־
הכפרת יהיו פני
הכרבים

§. I.

Quo sæpius, *exquiſitiſſimæ elegantiæ Phraſis* אִישׁ אֶל־אָחִיו in *Sacrorum Librorum volumine*, lecta, eo minus, à *Veterum* ſimul & *Recentiorum Interpretibus*, intellecta. *Nihil* ergo propria illuſtrat luce, ſed, *materiam* ſua ſponte *obſcuriſſimam*, nova offundit caligine. Communiſſima *Interpretis Vulgati* ſententia perfrigide exit. Sonat ea: *Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in propitiatorium, quo operienda eſt arca.* Jacentem erigere conati ſunt ſenſum, qui plurimorum abſtulerunt calculum, *Junius* & *Tremellius*, hoc pacto: *Sint Cerubini illi paſſis alis ſuis ſurſum verſus, obtegentes alis ſuis operculum illud propitiatorium, & faciebus ſuis obverſis unius*

unius ad alterum: versus ipsum operculum propitiatorium sunto facies Cerubinorum. Duo tradit *Moses*, inquit *Cl. Witsius: Primo, quod* passas *habuerint* alas sursum versus, *quodque* alis *suis* obtexerint propitiatorum: *dein, quod* facies *habuerint* obversas sibi *mutuo, itemque* conversas *ad propitiationum.* Quæ, uti *magnam* parere debuerunt *ambiguitatem*, ita quoque *tenebras*, per *collectam* inde *summam*, cumulate auxit idem *Vir Eruditissimus.* Verba sunt: *Unde id certo concludi potest, fuisse animalia volucria; at cujus speciei, quot alis, quot faciebus prædita, & quæ reliqui corporis forma fuerit, ejus rei altum apud* Mosen *silentium est.* Hæc *Ægyptiaca Lib.* II. *Cap.* XIII. §. V. *Dissertatio* de *Tabernaculi Levitici Mysteriis*, principem *Lib.* II. *Miscell. Sacror.* occupans locum, addit §. LVIII. *Ideoque fortassis omnium erit optimum, modestam hic profiteri inscitiam.* Nec aliam plane, tibi moverit, cogitationem, gravissimus *Rerum Hebraicarum* scriptor *Flavius Josephus*, cujus insigne, *suæ*, præ omni *Rabbinorum* hariolatione, vel si mavis inscitia, *ignorantiam* licet profitentis, merito tamen laudandæ *eruditionis*, extat testimonium, quod literis consignatum *Lib.* III. *Antiq. Judaic. Cap.* VI. §. 5. sic reperies: τῷ δ' ἐπιθέματι αὐτῆς *Arcæ* scilicet *Mosaicæ* ἦσαν πρόσυποι δύο. χερουβεῖς μὲν αὐτοὺς ἑβραῖοι καλοῦσιν. ζῶα δ' ἐστὶ πετεινὰ μορφὴν δ' οὐδενὶ τῶν ὑπ' ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια. μωυσῆς δὲ φησὶν τῷ θρόνῳ τοῦ θεοῦ προστυπεῖς ἑωρακέναι.

§. II. Verum, de hoc *cæcato* atque *labyrintheis* quasi *ambagibus implexo ænigmate*, longe clarior, *Magno Scripturarum Interpreti Joanni Coccejo*, incessit cogitatio. Hic, præclaro, id operam dedit, impetu, ut, non *incertiorem*, quam accesseras, te dimitteret. Evolvas quæso *Lexicon* ejus *Serm. Hebr.* ibique, sub *Vocabulo* כרוב breviter quidem, sed solide adnotatum, invenies: *Erat figura quatuor animalium in unum conflatorum: ita ut pedes essent vitulini, manus humanæ, corpus item; facies quatuor, leonis, bovis, aquilæ, hominis, alæ aquilinæ insuper.* Cujus itaque has in partes propendet animus, ei *hancce Verborum Hebraicorum*, quam ad *priores* æstimet, ponderetque, subministrabo *faciem* nativam: *Et erunt Cherubini expandentes duas alas sursum, obtegentes cum duabus suis alis Propitiatorium, facies autem eorum vir cum fratre suo; super propitiatorium erunt facies Cherubinorum.* Ubi jam nemini mens tam læva esse potest, qui non statim, *geminum par alarum*, alterum, *quod sursum erat dispansum*, alterum, *quod propitiatorium quasi obumbrabat*, ex τῦ כְּנָפַיִם *bis repetito duali*, animadvertat. *Ei* tamen, quem *proprietatis* τῦ איש אל־אחיו non tam religiosa tenet cura, *geminum par facierum*, nondum pellucet. Id tum *Masculine*, tum *Fœminine* אשה אל־אחותה *mulier cum sorore sua*, de *rebus* æque *ianimatis* quam *inanimatis*, frequentatum videmus, ubi *ex-*

exquiſitioris ſermonis laudem *Hebræi* aucupantur. De *rebus ſibi invicem obverſis*, vulgo declaratur. Qui hoc negant, *res inter ſe ſimiles & ad amuſſim ſibi convenientes*, ſubſtituunt. Atqui, *utrumque illud*, dilutum admodum gignit ſenſum, & longe gravius aliquid & ſignificantius, in *noſtra pericopa*, eique ex amuſſi reſpondentibus *aliis*, requiritur. Unum ſuffecerit ſpecimen, ad *omnium elegantiam* ſimul & *amplitudinem* pandendam. Capio, quod ſeſe *Levit.* XVIII. 18. offert. Legas: ואשה אל־אחותה לא תקח *Et mulierem cum ſorore ſua non capies*. Cave, in *duabus*, vel *utero* vel *ſanguine* inter ſe conjunctis, *ſororibus*, hæreas. Ad *Polygamiam* enim quamcunque *ſimultaneam* reſpicitur. Mens eſt: *duas mulieres* ne tibi ſimul *jungas in connubium*. Addamus *Exod.* XXVI: 3. חמש היריעות תהיינה חוברות אשה אל־אחותה *Quinque cortinæ ſint conjunctæ, mulier cum ſorore ſua*. Quod hanc haberet vim: *Quinque cortinas, unam cum altera, arctiſſime conjungas*. Φράσιν ergo ופניהם איש אל־אחיו per *Latinorum : Et facies eorum una cum altera*, rite expreſſeris. *Unam cum altera*, non de *facie* ſingulariter *dirigenda*, ſed de *faciebus pluraliter una cum altera*, hoc eſt, *ſimul*, ſuo obtutu על־הכפרת *ad Propitiatorium, convertendis*, intellige ſis. Luculentum, quo pa-

ℓto, inter *facies* Cherubinorum *ſimul inclinatas* & *geminum alarum par*, cujus *alterum* tantum, *altero ſurſum diſpanſo*, ad *Propitiatorium* erat *flectendum*, deprehendes diſcrimen. Id intelligi, ex *verbis* ſtatim *ſubjunctis* אל - הכפרת יהיו פני הכרבים *ad Propitiatorium erunt facies* omnes ſcilicet & ſingulæ, abſolute פָּנִים à ſing. פָּנֶה appellatæ, *Cherubinorum*. Illis, quibus *una* tantum *cum altera*, in hunc uſque diem, adfulſerat *facies*, eadem *ambiguitas*, quæ *Latinorum* occupat *facies*, in *conſtructo* ופניהם *Hebræorum*, fraudi fuit. Sed quidni *geminam* Cherubinorum *faciem*, per פְּנֵיהֶם in *affixum* הם & *Dualitatis numerum* פָּנִים reſolvendum, efferre liceret! Nihil ſaltim, quod obſtet, video. Sed, aut fallor multum, aut τὸ *Duale* פָּנִים per איש אל - אחיו *duplicatum*, fateri coget, non *faciem unam*, non *geminam*, ſed *quatuor* non minus *unicuique Cherubinorum* adhæſiſſe *facies* quam *geminum alarum par*, ex *ſignata Phraſi noſtra* ופניהם איש אל - אחיו nunc, ſole meridiano clarius, relucere.

§. III. Numero equidem *quaternario* non *pauciores*, neque *plures*, in *unoquoque Cherubo* agnoſcendas eſſe *facies*, tum alia ſuadent, tum

tum, præfertim *delicato exquifitoque judicio eloquentiæ Prophetiæ* facile *Princeps Ezechiel* fibi fidenter admodum accredi poftulat. Hujus funt *Cap.* I. *Vers.* 5. &c. In *medio illius* ignis in gyrum fcilicet agentis *fimilitudo erat quatuor animalium*; *quorum hæc eft fpecies: fimilitudo* nempe *hominis* erat *illis*, וארבעה פנים לאחת וארבע כנפים לאחת להם ורגליהם רגל ישרה וכף רגליהם ככף רגל עגל וכ'ו וידו אדם מתחת כנפיהם על ארבעת רבעיהם ופניהם וכנפיהם לארבעתם *Quatuor quoque facies* erant *unicuique*, *imo quatuor alæ unicuique illorum. Et pedes illorum*, *pes* quisque *rectus*, *fed pes imus ipforum fimilis erat imo pedi vituli*, &c. *Et manus humanæ fub alis eorum in quaternis* erant *partibus ipforum*; *faciesque eorum & alæ eorum in quatenis partibus illis*. Confer, amabo, *Cap.* X. ibique geminum atque gemellum *Vers* 21. reperies; quod *comma decimum quartum Cap. ejusd.* fic enumerat: פני האחד פני הכרוב ופני השני פני אדם והשלישי פני אריה והרביעי פני נשר *Facies unius erat facies bovis*, *facies autem alterius facies hominis*, & *tertii erat facies leonis*, & *quarti facies aquilæ*. Idem, fed diftinctius adhuc digeftum *Cap.* I. cernes, cujus *Verficulus decimus* pingit: ודמות פניהם פני אדם ופני

 אריה

אריה אל־הימין לארבעתם ופני שור מהשמאול לארבעתן ופני־נשר לארבעתן *Et similitudo facierum ipsorum* exhibebat *tum facies humanas, tum facies leoninas ad dextram quatuor ipsorum, porro facies bovinas à sinistra quatuor ipsorum, & denique facies aquilinas quatuor ipsorum.* Ubi nemo scrupulum sibi objicere patiatur, *vultûs* tum *humani*, tum *aquilini*, situm non expressum. Nihil enim *universæ seriei esse congruentius*, nihilque *ad veritatem propensius*, quam, re bene perpensa, *utrumque vultum*, sibi invicem *adversum* fuisse, hoc est, humanum quidem *partem anteriorem*, aquilinum vero *posteriorem partem* signanter implere, inde collegisse, ex facili mecum agnoscas. Non me fugiunt *Cherubini*, qui non *quaternis*, sed *binis* tantum, *hominis* altero, altero *leonis*, *vultibus*, sese conspiciendos præbuerunt *Ezechieli Cap.* XLI. *Vers.* 18. & 19. *Binæ facies erant cuique Cherubo*, ופני אדם אל־התמרה מפו ופני כפיר אל־התמרה מפו וג״ו *facies nempe humana juxta palmam ex hac parte, facies autem leonina juxta palmam ex alia parte*, &c. Sed *quid coloris* hinc afferent! an cum *Grotio*, hasce *duas* hominis & leonis *facies*, ex quatuor *illis*, maxime *eminuisse!* Non; sed *unicum* in genere *facierum par* unicuique horum *Cherubinorum* fuisse attributum. Egregiam, enim vero, pro-

probationem! quasi, præter *duas* conspectui *expositas*, non *plures* alibi, latere potuerint. *Observant* enim *Eruditi*, ut *verbis Witsianis* utar, *describi hic* Cherubinos *pro ut in plano pariete sculpti contemplantium apparebant conspectui; per quam rem fieri potuit, ut duæ aliæ facies interciperentur ab ipsa parietis planitie. Fuit hæc dimidiata duntaxat sculptura, in qua necesse est, multas partes non exstantes, latere: quæ in statua separata, & undiquaque aspectui objecta, distincte cernuntur.*

§. IV. *Sententiam*, ex hisce omnibus plena lance congestis, efflorescere jam videas, *haud pœnitendam*. Non sane, quæ *quatuor facies* per *totum Cherubinorum corpus* ita distribuerat, ut *humana* quidem conspiceretur in *ore*, *manibus*, *cruribus* & *erecto corporis habitu*, sed *leonina*, præter *aquilinam* illam, ex *alis grandioribus humeris annexis*, atque *bovinam*, ex *ungulis bifidis*, relucentem, in *cervice*, *armis* atque *pectore jubatis*, *hirsutisve*, suum occuparet locum. Neque, quæ pro *quatuor illis vultibus*, totidem quoque *capita*, seu potius *semicapita*, ita ut anterior pars habuerit *caput* & *faciem hominis*, quasi primarium & eminentiorem, cui à dextris inserta vel annexa erat *facies* & *caput leonis*, à sinistris *facies* & *caput vituli*, à parte posteriori *facies* & *caput aquilæ*, nostris *Cherubinis*, tanquam juvenibus & militibus Dei galeatis, assignaverat. Multo minus, quæ, *animalia* quidem *insolita*, *bovini* tamen *corporis speciem* quoad maximam sui partem *repræsentantia*,

tia, *magnis* instructa *alis*, incertum *quot*, & *binis* ad minimum *faciebus*, *leonina* nempe & *humana*, in *Cherubinis* perspexerat. Sed utique, quæ, *humanum* ferme atque ad instar nostri, *manibus*, *pedibusque efformatum corpus*, quod, præter *plantam vitulinam*, *quatuor* nonsolum *grandioribus aquilinis* super *humeros* haud dubie *conspicuis alis*, verum etiam, *totidem*, *humana* nimirum, *bovina*, *leonina*, & *aquilina*, circuitum *unius ejusdemque*, ut ita dicam, *capitis* pulchre *implentibus faciebus*, præditum, exornatumque, in Hieroglyphica *sacrorum horum animalium* forma, residere in posterum agnoverit. Maximam *veri* hujus partem *Cl. Coccejum* habuisse perspectum, nemini non, ex *eo*, quod superius jam *adductum* cernat, obvium erit. Huic geminum plane atque gemellum apud *Erud. Tillium* offendas, qui de *Cherubinis*, in *Comment.* suo ad *Tabernaculum Mosis pag.* 20. ita: *Probabile est* inquit *corpus humanum*, *vitulinis pedibus sustentatum*, *& aquilinis alis ornatum*, *caput admisisse quadriforme*, *quatenus vultus humanus*, *leoninus*, *bovinus & aquilinus in omnes oras prospexerint*, *&c.* Omnium autem minime prætereat, *Josephum* tradidisse, *Cherubinos Mosaicos* fuisse ζῶα πετεινὰ, μορφὴν ὐδενὶ τῶν ὑπ' ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια, *animalia volucria nulli eorum*, *quæ ab hominibus visa sunt*, *similia*. Lumen addet, quod, de *Salomonæis* speciatim, ab *eodem* pronunciatur. Id *Lib.* VIII. *Antiq. Jud. Cap.* III. §. 3. habes, ubi prostat: Τὰς δὲ χερουβεῖς, ὐδεὶς ὁποῖαί

ὁποῖαί τινες ἦσαν εἰπεῖν οὐδὲ εἰκάσαι δύναται *Cherubinos quod attinet, quanam figura fuerint, nemo dicere vel concipere potest.* Loquendi *modus* non eſt *vafer* & *obſcurus*, cauſam opinandi *Cl. Spencero Lib.* III. *Legum Hebræor. Ritual. Diſſert.* V. *Cap.* IV. *Sect.* II. §. 4. præbens, *Cherubinos* ad ſpeciem præcipuè *vitulinam* fuiſſe conformatos, ſed *apertus* & *cordatus*, nemini non *cogitationem* merito injiciens, *eos* extraordinaria plane conſtitiſſe forma, *quæ* uti non ex *una*, non ex *duabus*, non ex *tribus*, ſed ex *quatuor* diverſis ſpeciebus, erat *conflata*, ita quoque non ſolum *nulli certo Creaturarum generi reſpondentem*, verum etiam, ſimilem à *nullo unquam hominum viſam*, commodiſſime potuit, quin imo debuit, exhibere *imaginem.*

§. V. Manum jam de tabula tollebam, ſed ecce unam adhuc alteramve ſibi poſcunt lineolam *Cherubini Salomonæi*, in quibus, ex *quatuor* itidem *animantibus conflatas effigies Hieroglyphicas*, Sacro *ferme ſilente* Codice, concipias, non forſan *æque* plurimi *Virorum* conceſſerint; licet, regula generalis *Similium ſimilis eſt ratio*, ſponte ſua, *easdem*, vel me tacente, admiſerit. At ne dolo dicam, *dicti veritas* non in *hisce*, æque, quam quidem in *Moſaicis* atque *Ezechieliticis*, ridet, ſuisque liquidiſſimis ſeſe inſinuat radiis. Eandem tamen *in ſingulis peræque* riſuram, ſeque *ſponte ſua* aliquando inſinuaturam, fruſtra modo tantillum operæ noſtræ non attribuerimus *rei*, ſtudioſe quidem *quæſitæ*, ſed nondum *inventæ*, omnes, qui interiorem

riorem *Linguæ intermortuæ* ſuccum, vigoremque antiquum, ex *ejusdem Linguæ* viva adhuc pulchreque florente *Dialecto* metiri valent, ſentiant, neceſſe eſt. En *genuinam* ex מַעֲשֵׂה צַעֲצֻעִים tanquam *ex abdito cubili* pervestigatam, *certisque notis* ac *veſtigiis* deprehenſam *lucem*. Volitat id *ſolivagum*, ſuaque in natura *à nemine* cognitum 2 *Chron.* III: 10. ubi legitur: *Fecit quoque in domo Sancti Sanctorum duos Cherubinos*, מעשה צעצעים opus Zaazyim, *& obduxerunt eos auro.*

§. VI. In *Alexandrinorum* Codicibus *duplex* occurrit *ſcholion*, alterum *ſimplex*, *compoſitum* alterum. Simplex *Exemplar* occupat *Vaticanum*, cujus eſt: ἔργον ἐκ ξύλων. *Senſu* non nihil *ſpecialiori* hinc abiit *Aldina* ſimul & *Complutenſis Editio*, quæ offert: ἔργον ἐκ ξύλων ἀσήπτων. *Utrumque* unde exſculptum! neſcio. Niſi *noſtrum* forte *obſcuræ indolis* צעצעים per *literarum Metathesin*, quæ עצצעים procuderat, explicuerint & ad uſum *lignorum* præſertim *duriſſimorum*, adeoque *putredini non obnoxiorum* detorſerint. Sed, quum *prava* haud dubie *Verſio* nihil hic facere poſſit *momenti*, hariolationibus peperciſſe tutius fuerit. Miſſos quoque facio *Syrum* &. *Arabem*, quorum *idem* עָצָה pro עֵצָה *Æthiopice* ፀሸወ σφίζειν vel potius στερεῖν *firmare*, unde עץ *lignum*, *quod*

Ara-

Arabibus eſt عصا *fuſtis*, *baculus* &c. reſpicientium, ܥܒܕܐ ܡܫܪܪܐ *opus firmum*, ſive صنعة متقنة *artificium ſtabile*, circumfertur. Longe aliter calculos poſuerat *Paraphraſtes Chaldæus*, עוֹבַד שׁוֹשַׁנִּין *opus florum* in ſpecie *liliorum*, ex צֶאֱצָאִים *Radicis* צָוָא *Arab.* ضسا, *emicuit*, quaſi, *germinum emicantium* terræ, dicas, fidenter adhamans. Eandem *literarum* צעצעים inter & צאצאים *alliterationem* plerique amplexantur *Rabbinorum*, qui vel cum *Salomone ben Melech* מעשה נערים *opus puerorum* ſimpliciter, vel geminata idea cum *Salomone Iſaacide* מַעֲשֵׂה ילדים וילדות *opus puerorum & puellarum*, ac ſi *germinum emicantium* familiæ *proprie* diceres, magno *inde* conſenſu exſculpſerant. Niſi quod, apud *Anonymum Auctorem*, *Judæum Germanum*, qui in *Compendio Aruch. MSS.* quod ad manus *Elegant. Beckii* pervenerat, vocabula difficiliora *Hebraicè* nonſolum, verum etiam *Teutonice* exponit, legatur: צַעְצֻע עוֹפֹת הַדּוֹמִים לִילָדִים ויגל דיא גלייך זיין וויא קינדר *Zaza ſunt volucres*, *ſimiles pueris*, Vögel die gleich ſeyn wie Kinder. Similis *imago* non placuit quidem *Cl. Schindlero*; placuit tamen *opus puerorum & puellarum hinc inde diſcur-*

currentium. Ad *posterius hocce* eliciendum, propiusque determinandum, *Radicem* צָעָה quæ apud *Lexicographos*, tum *eundi de loco ad locum*, tum *discurrendi*, *migrandi* &c. fœta occurrit *potestate*, in subsidium fuisse vocatam, non miror. Quod tamen, uti *levissimum* erat atque nimis *fluxum*, ita quoque nullius *gravis Interpretis* meruit assensum; *Thema* licet *ipsum* à plerisque studiose teneatur, *indeque*, vel *opus motationum*, quod artificio quodam suapte sponte est *mobile* sive *αὐτόματον*, vel *opus exemptionum* sive *exemptile*, scilicet cujus partes, ex quibus constat, inter se iterum *divelli*, *eximi* ac *dimoveri* possunt, magno nobis obtruditur nisu. Utrumque *suo* in *loco* relictum à *Forstero*, qui *opus moventium* maluit. Verba *ejus* sunt: צַעֲצֻעִים *dicuntur, qui metalla discurrere & movere faciunt.* Hoc non procul ab *Hieronymo* discedere, cujus erat: *opus statuarium*, ut *artificium* scilicet *metallarium* intelligas, *Mercerus* & *Cevallerius* pronunciant, statim subjungentes: *Sanè cùm hæc vox alibi non occurrat, conjectandum quid proprie significet, sicut & in plerisque aliis Scripturæ locis.* Itane tandem! quorsum, si *fenestra* conjectandi, per *Anomaliam*, per *Metathesin*, per *Alliterationes*, in totum aperiatur, non evademus. *Opus* sane *variorum ductuum* per *eam* intromittit *Avenarius*. Unde hæc! haud immerito inquies. Dicam: *Hebraicum* צעה *discurrit vagus, movit se de loco*

co ad alium migrando &c. &c. ex *Græcorum* σείω, ἐκσείω *moveo*, *trabo*, item *cieo*, & *Germanorum* ziehen / umbziehen / ein zug / illustratum, *singulare* peperit צַעֲצֻע *Zaazuan*, cujus *forma* צעצעים *pluralis*, uti non *simplicibus*, sed *duplicatis* constabat *literis radicalibus*, ita quoque, non *simplicem*, sed *varios ductus*, Germ. züge / id est, *ambages artificiosas*, ex *Systemate Avenariano*, conflare potuit, quin imo debuit Non tamen subscribit *Rev. Dorjenius*, qui *vol.* II. *Musei Hist. Phil. Theol. Brem. Part.* IV. *Differt.* I. novo conamine, *Opus rotarum* sive *Opus currus*, quod *Cherubinis* subjectum existimatur, ingessit; præfatus, *voces*, quibus *Radix* τῶ צעצעים frustra in *Hebræorum Dialecto* quæsita, apud *Arabes* fuerit conservata, se non vereri, *omnes*, *sive* ne in unâ alterâve erret, *seu* quoniam omnes & sono & significatione conferri possent, *seu* quia uno complexu simul sumtæ τὸ *Rotarum opus* adjuvare queant, exiguo selectu habito, adducere. At, meo quidem judicio, operam & oleum perdidit *Vir Doctus*, quum *ansam* opinandi, cùm ex زيبارية *currus*, *plaustrum*, tùm ex ضعضع *corruit*, *deprimit*, item ex تغنغ *titabavit*, porro ex زعزع *commovit*, *concussit*, nec non ex زقزاق *motus saltatorius*, aliisque compluribus, cum quibus omnibus

nihil plane *nostrum* צעצוע habet *commune*, quicquid etiam coloris, longo verborum syrmate, illiniatur, arreptam video.

§. VII. Sua interim laude non defraudandam esse *Conjecturam* ipsam, quæ, *Cherubines* Templi, *parvulum aliquem currum quatuor suffultum rotis*, sub se habuisse, conjecit, censuerim, idque ob *verba* præcipue sat, ut videntur, hanc in rem, *luculenta* תבנית המרכבה הכרובים 1 *Chron.* XXVIII : 18. quamvis adhuc minus intelligantur. *Eandem* tamen *Veteribus Magistrorum*, qui, מעשה צעצעים, per מעשה כרכוב, quod, *Arabice* צנעא כרכב, vocatur, explicuere, sedisse *mentem*, non mihi facile persuadebitur. Mentionem hujus injecerat *Kimchius*, ad *h. l.* ita scribens: וי"מ מעשה כרכב היו עשוים הנקראת בלשון ערבי צנעת כרכב *Sunt qui* מעשה צעצעים *exponunt* Opus Carcobh, *quo facti fuerunt* Cherubini, *quale in Lingua Arabica* Opus Carcobh *audit*. Ubi, *idem* per *idem* explicari, cernis. *Vocabula* מעשה & צנעה *Arab.* صنعة ex amussi sibi invicem respondent. Sed quid, *utraque* in *Lingua*, sibi vult τὸ כרכב! Id forsan, alia *Glossa*, quam *Libro Radicum* idem *Rabbinus* inseruit, nos docebit. Verba sunt: ויש מפרשים מעשה כרכוב היו עשוים הנקרא בלשון ערבי צנע"ת אל"כר"ט. Apud *R. Sal. ben Melech*

Melech in מכלל יופי similia leguntur, quæ *Cl. Beckius* in notis ad *Lib. II. Chron. Paraph. Chald.* p. 33. adducens, *Latine* reddidit: *Sunt qui exponunt: opus curule fuerunt facti, quod vocatur Arabice: Opus Alberot*, h. e. ut videtur, *curr⁹s instar mobile*. Quid, circa כרכוב per *curule* conversum, habuerit mentis, nisi *me* mea *lux* fallit, satis assequor. Prudentius tamen de *tali*; ex כ & רכוב, quasi dicas *ad instar currus*, conficta *compositione*, quæ haud dubie *fundamentum* quoque, ad τὸ אלבראט per *instar curr⁹s mobile* reddendum, suggessit, interpositum licet sit, *ut videtur*, siluisset *Vir Doctissimus*. Sententia *Dorjeniana* hæc est; τὸ כרכוב *circuitum*; *ambitumque rotunditatis* significare, τὸ אלבראט autem *circuitum rotunditatis*, aut *celeritatem* dicere, adeoque, ad *rotas* sive *currum rotis instructum*, admirabiliter *utrumque* & commodissime applicari, *sibi* persuadet serio, & bona etiam fide *aliis* persuasum cupit. *Prius*, ut sibi *notissimum*, mihi vero *ignotissimum*, confidenter supponit. *Posterius*, ut *minus notum*, ex *Arabico* بريد *Berid*, quod, tum *nuncium celerem* & *præcursorem* in genere, tum in specie *Tigrim* tremendæ pernicitatis *animal*, expingit, illustrare, debitaque in luce collocare aggreditur. Sed non decet, *mi Dorjenie*, non par est, ut

 ita,

ita, nescio, qua specie blanda, quo fallaci colore, quove è pelvi fulgore, *Linguas haud callentium* præstringas oculos, ne nescire videreris, quod cum scientissimis revera nesciebas.

§. VIII. Omnes autem hasce, cùm *Veterum*, tum *Recentiorum Interpretum*, trepidationes, *sententiarumque* toto à se invicem cœlo *discrepantium* fluctuationes, facile *locus noster* effugisset, modo, *Analogiæ Grammaticæ*, quam *id* vocamus, quod *tenorem* per omnia *Linguæ Sacræ Orientalis* idiomata constanter servat, curatius paulo & magis ἀκριβῶς litatum fuisset. Hæc, τὸ צֵעֲצוּע *Verbo*, quod vel *tert. rad.* deficit צָעָע vel quod *med. rad.* quiescit צוּע, ex æquo attribuere solet. Utrumque enim in *Conjug. Pibbel*, & *active* & *passive*, formare צעצע *quadriliterum*, boni sciunt judices & arbitri. *Prioris generis* sunt חרחר *Deut.* XXVIII: 22. à חרר, בקבוק 1 *Reg.* XIV: 3. à בקק, סלסל *Jerem.* VI: 9. à סלל, שרשר 1 *Reg.* VII: 17 à שרר, &c. &c. *Posterioris* autem צנצן unde צנצנת *Exod.* XVI: 33. à צון, טלטל unde טלטלה *Esa.* XXII: 17. à טול, עפעף unde עפעפים *Prov.* XXX: 13. à עוף, שעשוע unde שעשעים *Psalm.* CXIX: 24. à שוע, aliaque bene multa, id

ſi ageretur, longa ſerie in ſcenam producenda. Nunc tantum dicam, *vocabulum* צעצוע ſive ad צעע, ſive ad צוע, retuleris, quum inde *nihil Analogiæ Linguæ* decedat, mihi eſſe perinde. Sed *neutrum* occurrit in *Bibliis.* Utriusque ergo *nativa ſignificandi poteſtas*, profundiſſime ignoratur; quam ſane non aliunde melius, quam ex ipſis *Linguæ Hebrææ* Dialectis, in quibus & צעע & צוע diverſo licet colore, in hunc uſque diem frequentantur, condiſcas. Ob *formam* autem *abſolutam* צעצוע, cujus, ad molliorem, celerioremque pronunciationem captandam, *pluralis* צַעֲצֻעִים *regulariter* exiit, *Poſterius* mallem. Id, in *plagis Orientalibus*, & olim poſſediſſe, & etiamnum poſſidere, notiones *conflandi*, *formandi*, *figurandi*, *fingendi*, & ſpeciatim *aurificinam exercendi*, doceat genuina *Domûs Heberi* ſoboles. *Arabes* intelligo, quorum صاغ pro صوغ *med. Vaw* ita transfertur. Excerpam ex *Theſauro Giggeiano*, hoc eſt, *Phiruzabadiano*, quantum firmando huic *aſſerto* conducet. Habes ibi صاغه. الله صبغة حسنة *Illum egregia natura creavit Deus.* Item صاغ الخاتم *Annulum aurifex elaboravit.* Item porro صاغ الشي *Rem efformavit*, ſeu *aptavit ad exemplar rectum. Conflavit.* Imo انصاغ الشي.

الشي *Res hac ratione elaborata fuit.* Nec non هو صوّاغ *Constans, opere fusili elaborans aurifex.* Denique سهام صيغة *Sagittæ unius viri opere elaboratæ.* Adblanditur quoque صيغة الشي *Ordo, seu series rei, genus rei.* Rectius posueris *conflaturam, formam, modumve rei.* Nec prætercundum صوغ الملك *Vas regium, auro elaboratum,* quod etiam صواع الملك effertur. Simile exstat in *Dialecto Æthiopica*, ubi ጸዋዕ *Masc.* quidem est *Calix*, cujus in *S. Cœna* speciatim usus, aliâs τῷ ጸዋዕ:ዘምሥጢር: nomine salutatus, sed *Fœmin.* cujuscunque materiæ *Poculum* aut *Scyphum*, Ποτήριον denotat. Indubium proinde vocari nequit *Golianum* hocce: صَوْغ sive צוע *Forma, Modus.* Quod, uti ex *Conjug. simplici* deductum, *simplicem cujuscunque rei conflatam formam* atque *imaginem* exprimit, ita quoque τὸ צעצוע sive مصاغ ex *Conjug. Pihhel*, aut *Pyhhal*, quæ *notionem* simul adaugent, intenduntque, formatum, *formam* ex diversis speciebus *figuratam* atque in *unam* quasi *conflatam*, signare & valet, & debet.

§. IX.

§. IX. Nihil profecto rotundius, nihilque ad *rem præsentem* accommodatius deprehendes, quam, ubi, *nostrum* מעשה צעצעים per *Opus diversarum in unum quasi conflatarum formarum*, Latine consignaveris. Optime hoc, *cum* illis, quæ præmittuntur, *tum* illis, quæ subjiciuntur, respondere, *suaque* nunc, & aurem audientium & animum legentium impleturum *amplitudine*, quis negaverit! Sic enim *Scriptor Sacer* ait ויעש בבית קדש קדשים הכרובים שנים. Cui statim subjungitur: מעשה צעצעים *Opus diversarum formarum*. Scisne *quale* quidem ego intellexerim! Ipsum *Cherubinorum Opus*, quod, *humanum corpus*, *planta* non solum *vitulina*, verum etiam *quatuor grandioribus alis*, totidemque *faciebus*, *humana* nimirum, *bovina*, *leonina* & *aquilina* esset instructum, super *Arcam fœderis*, tum *Tabernaculi*, tum *Templi*, repræsentare debebat, intelligo. Id *Mosi* jam haud obscure fuerat insinuatum, proinde, *idem* de novo non repeti distinctius, haud equidem miraberis. Nullam nempe, quod ad *externam* Cherubinorum *quadriformem imaginem*, faciendam fuisse *mutationem*, Salomo, *Regum Sapientissimus* optime noverat; in *illorum* licet *magnitudine* simul & *materia*, non nihil variatum fuerit. *Illi*, solido ex auro, constabant, ceu legitur *Exod*. XXV: 18. *Hi* vero *materiæ* erant *ligneæ*, quæ nomine עץ שמן ײ 1 *Reg*. VI: 23.

 audit,

audit, *auro* tantum *incruſtatæ*. Hinc &, ſine ulla interpoſita mora, ſubſequitur ויצפו אתם זהב, quod 1 *Reg.* VI: 28. enunciatum videas ויצף את־הכרובים זהב *Et obduxit hos Cherubinos auro.*

CAP. XXXVIII. *Vers* 8.

וַיַּעַשׂ את הכיור נחשת ואת כנו נחשת

§. I.

Nemo eſt, qui, *virtutem* atque *indolem* di*cti hujus*, à LXX *Senioribus* per Καὶ ἐποίησε τὸν λουτῆρα τὸν χαλκοῦν, καὶ τὴν βάσιν αὐτοῦ χαλκῆν, declarati, non penitus penituſque ſe perſpexiſſe exiſtimet. Quod tamen ſecus ſe habere, ſi *rem*, *Vocabuli* cùm כִּיּוֹר, tùm *Radicis*, ex qua *vocula* כַּנּוֹ ſuccrevit, juxta *Linguæ Hebrææ* prima principiâ, *rite* putare velimus, deprehendetur. Nihil hic acutulos illos ex *Chriſtianorum Schola* moror, qui τὸ כיור enucleaturi, *formam* quidem τοῦ כור, *ſignificationem* autem τοῦ קְרָה ei ineſſe narrant; quaſi tu *Labrum*

brum expoſiturus *Latinorum*, tum *notionem* ἀπὸ τῦ λαβεῖν deductam, tum *formam* ex *Lavabrum*, quod eſt à *lavo* formatam, *illud* continere dicas. Non felicioribus eſſe licuit *Philologiæ cultoribus*, qui poteſtatem *Radicis* כור in *Sacro Codice* deperditam, ex affini קור *fodit*, *perfodit*, elicuerunt, indeque, quod nihil melius præſto foret, *Hebræorum* כיור per *inſtrumentum*, *quod effoſſum*, *excavatumque* tanquam *fovea* conſiderari debuit, vel quod, *fodiendo terram*, *factum perfectumque* fuit, proprie reddiderunt. Negant *hoc*, quicunque, *amiſſa literarum* ק & כ *alliteratione*, in כור, quod *Catinum*, vel potius *Fornacem* ſonat, ſubſiſtendum autumant. Horum *auctoritati*, ſi te conſtrictum traderem, τὸ כיור *labrum*, ad ſimilitudinem *catini* aut *fornacis*, efformatum, repræſentaſſe, confidenter pronunciaveris. Sed unde כור *hoc nomine* inſignitus! Eſt ne à *capiendo!* unde *catinus*, ſecundum *Varronem*. Eſt ne à *forno*, hoc eſt, *calido!* unde *fornax*, ſecundum *Nonnum*. Ad *poſterius illud*, ſe inclinaſſe, *Cl. Majus* videtur. Scribit: *ſine dubio* כור *catinus*, *fornax*, *in quâ metalla liqueſiunt & purgantur*, *ab* ardendo *appellabitur*, *quæ verbi notio in Syriaca Lingua in uſu adhuc eſt*, *ſiquidem* ܐܬܟܡܪ *ſignificat* æſtuavit, incaluit. Atqui parum *memor* fuit *Vir Doctiſſ.* iſtud ܐܬܟܡܪ etiam uſurpari pro *verecundatus eſt*,

 cujus

cujus *simplex* كسف sive كسف apud *Castellum* redditur *pudefecit*. Alia ergo est *Origo*, quæ, cum hisce *secundariis* haud dubie *usibus* non solum amice conspiret, verum etiam ad integram *derivatorum classem*, quam כִּיוֹר, כּוּר &c. &c. suaviter implent, liquidissime respondeat. Non enim, quid *hoc* vel *illud derivatum* admittere queat, sed quid, secundum *nativæ proprietatis* & *antiquissimæ originis* filum, recipere debeat, *ab iis*, qui in interiora *totius Linguæ Orientalis* adyta feliciter penetrare, amicissimamque harmoniam, quæ, inter *sorores uno eodemque sanguine cretas*, naturaliter intercedit, tuto in portu collocare, allaborant, est *demonstrandum*. Verum neglexit hoc *Cl. Majus*, τὸ כּוֹר *Corus* sive *Mensura* aridorum simul & liquidorum *maxima*, forte ex *Arab.* كار quod *in unum colligere & congerere* notat, deduci posse, asseverans. Nam *quid* tum, de *Labro*, cui nomen τῷ כִּיוֹר impositum, fieret! Magno sane *id* transmittitur otio.

§. II. At *nobis* tam otiosis esse non licet, neque adeo lubet, quum *percommoda*, quæ à *figura rotunda* atque *orbiculari* deducitur, ad manus sit *notatio*. Nempe כּוּר *med. Vaw*, vel כִּיר *med. Jod*, prisca fuit memoria, *gyravit*, *in gyrum ambivit*, *inque formam collegit rotundam*. In *Sacris Pandectis* non quidem *sic* exserte

exſerte uſurpatur, *Veteribus* tamen *Hebræis* cùm *Lingua* ipſorum vigeret atque floreret, ita fuiſſe uſurpatum, *Arabes*, quorum كَارَ כור pro كَوَرَ כָּוַר in hunc uſque diem laudatur, doceant, firmiterque inſinuent. Præcipue, quum, ſat luculentum *iſtius notionis* veſtigium, ex *quadrilitero ſimplici* כִּרְכֵּר relucere, nemo non ſponte ſua perſentiſcet. *Hoc*, vel ex כור vel ex כָּרַר, deductam *Conjugationem Pibhel*, repræſentaſſe, norunt etiam *Elementarii*. Forma ejus *Participalis* מְכַרְכֵּר occurrit tantùm 2 *Sam*. VI: ubi *Vers*. 14. habetur מכרכר בכל־עז, quod deinceps *Vers*. 16. per מפזז ומכרכר repetitum videmus. *Priorem locum* LXX *Seniores* tranſtulerunt: ἀνεκρούετο ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις. Senſum aliquatenus adumbraſſe contentum ſe tenet *Chaldæorum Interpres*, hoc pacto reddens משבח בכל תקוף *laudans in omni robore*. Niſi *collaudationem cum plauſu*, tùm *manuum inter ſe colliſarum*, tum *pedum terram everberantium*, qualis, in *Græcorum* κρούειν, reſidet, ei ſpeciatim in שַׁבַּח fuiſſe obverſatam, dixeris. Planius atque plenius *Junius* & *Tremellius*, quorum eſt: *ſaltabat omnibus viribus*. Improbat

id

id *Cl. Castellus*, in *Lex. Hept. fol.* 1793. hocce utens argumento: *Coram arca saltare, in more fuisse, vix aut ne vix puto comperiemus ullibi.* Ac proinde, *Versioni* τῶν O præcipue inhærens, substituit: *Pulsando*, instrumentum scilicet aliquod musicum, *laudabat* &c. Cujus rei *Arabum* non solum كَرْكَرَ כִּרְכֵּר per *agitavit, tractavit, versavit*, conversum *Latinè*, verum etiam *Græcorum* κρούω, χαίρω, cum *Latinorum*, altern. כ & T, *Taratantera*, hinc planè, ut *ipsi* quidem videbatur, deductum, cernimus *fundamentum*. Inseruerat tamen idem *Vir* Πολύγλωσσος: *an cum saltatione laudare*, ἐπέχω. Sed compertum si habuisses, *saltationem* cum sibi *adjuncta*, cum oris, tum cordis *laudatione*, in *natura Linguæ* unice fundatam esse, eamque *Orationis seriei* admirabiliter responsuram, non utique *siluisses*, multo minus, ad probandam veritatem *Versionis* haud dubie pravæ *Alexandrinorum Interpretum*, qui pro בכלי- legerant בכלי, adeoque τὸ מכרכר sensu, *errori huic*, favente, ut par erat, expressérant, *te* accinxisses, *Eruditissime Castelle*. Quem enim latet, nullum in *omni Lingua* exstare vocabulum, cujus, à *corpore* ad *animam* translata non sit, *significatio*. Jam vero, *ullam laudationem*, sive *ullum* in Deo *gaudium*, absque *externo aliquo corporis motu*, τῷ כרכר non attribueris. *Summi Numinis* ergo *celebrationem*, commodissime sub *idea saltationis* comprehendi;

di, non est, quod dubitemus. Proprietas certe *Radicis* כור, in *gyrando*, *seque in formam colligendo rotundam*, fixa, *utrumque* ex æquo ad miserit. In *Lexicis* saltim nostris, *Syrorum* ܟܪܐ, quod nomen est *Emphat.* à ܟܘܪ diductum, per *exultationem*, *gaudium* simul & *chorum*, vulgo declaratur. Nec aliter *Glossarii Syro-Arabici Auctor* calculos suos posuerat, cujus, *Syriacum* ܣܘܪܘܬܐ à ܣܘܪܐ, & سرورى *Arabicum* à سرّ, circumferri videmus, *interpretamentum*. Idea, quam *Latini* in suo *saltando* adhamarunt, *motum corporis vibrantem*, qualis sub *Orientalium* כרר *Arabicè* كرّ, cujus *Pihhel* itidem *quadriliterum* כרכר producit, speciatim conspicitur, proprie exprimeret. *Natura* autem *Radicis* כור, ejusdemque *quadril.* כרכר ad *motum corporis gyrantem*, *choreasque ducentem*, nos sponte sua vocaverit. Absque ulla itaque vertas hæsitatione: *Et David* מכרכר בכל־עז *agitabat se in gyrum*. Latinius *saltabat in orbem omni nisu* &c. Idem, sed distinctius adhuc, per *solemnem Hebraismum*, quo duo verba, uno *ipsam rem*, altero *rei qualitatem* exprimente, *copula* ו *Vaw* vel intercedente, vel *eadem* omissa, conjunguntur, *Vers.* 16. repetitum videas. Verba sunt מפזז ומכרכר. Red-

de;

de, *levem se faciebat*, *choreasque ducebat*; hoc est: *agiliter*, *expedite*, præ læta nempe animi diffusione, *saltabat*. Haud absimile *Junio* & *Tremellio* obversatum; quorum *mens* huc redit: *Davidem contentissime coram Jehova saltasse*. At dicere velle, *Coram arca saltare non fuisse moris*, esset δουλεύειν τῇ ὑποθέσει, *qua* nulla *servitus* gravior. *Quæstio* enim *facti* est, *non* vero *juris*.

§. III. *Hæc* ad facem *Dialecti Arabicæ* accensa, *jucundum* nunc præferant *lumen*, ad *Originem*, tum *formæ*, tum *significationis*, vocabuli כִּיּוֹר accuratius pandendum. Quod ad *formam* attinet, *ea* expressissimum *Radicis* כִּיר *med. Je*, quæ *ejusdem* plane cum כּוּר *med. Vaw* est *indolis*, conservavit vestigium, cujus *Conjug. Pihhel* כִּיֵּר, *eadem analogia*, quâ גִּבּוֹר à גבר *Gen.* X: 8. צִיּוֹן à צין *Es.* XXXV: 10. &c. &c. descendunt, τὸ כיור, propagare potuit, quin imo debuit. *Significationis* veriverbium feliciter satis *jam* expedivit *Cl. de Dieu*. Ejus *mentem* ad *Exod.* XXX. *Vers.* 18. consignatam literis, *sic* legas: כִּיּוֹר נְחֹשֶׁת *labrum æneum* à figura rotunda sic dictum videtur. Est enim Arabibus كَوَّرَ כַּוֵּר *quiquid rotundum est*. Rectissime id monitum. *Latine* diceres: *Vas rotundum*, inque *formam orbicularem* quasi *tornatum*. Sane, *urbs*, *civitas*, à

rotunditate كُورَةٌ appellatur. Similis *imago* non placuit quidem *Hebræis* in *ſuo* עִיר, *Latinis* tamen æque ac *Græcis* perplacuit. *Horum* enim Πόλις eſt à πόλος, hoc eſt, κύκλος. *Illorum* autem *Urbs* venit ab *orbe*. Nam ex *orbis* cenſetur, κατ᾽ ἀντιστοιχίαν, contractum. Hinc & conficias τὸ כור ex *origine* ſua *Catinum* ſive potius *Fornacem rotundiorem* eſſe, qualis *Arabibus* كور الحداد ſpeciatim audit, atque plenius, per *fabri ferrarii foculum* aut *fornacem* ex *luto ſtructam* à *Lexicographis*, effertur.

§. IV. Sed quid כִּירַיִם *Levit.* XI: 35. ſemel lectum! *Vas* fuiſſe *fictile*, in quo *placentæ*, *liba* & id *genus ſimilia*, *coquebantur*, quod *operculum* habuerit, & quaſi *duplum* cenſeri poterat, *Buxtorfius*, *æterni nominis Lexicographus*, reſpondet. *Nempe quia focus ille*, ut verbis *Cl. Daſſovii* utar, in *Diſſert.* ad *tit. Celim* §. XXXI. *habebat* fundum, & *ſimul* tegumentum, *hinc quaſi* duplex *cenſetur*, *quamvis placentas*, *& liba in eo fuiſſe cocta ambigatur*, *utpote quæ apparari in furnis conſueverant.* Quorſum *hæc* ſpectent, nemini non *ex iis*, *quæ* idem *Vir Doctiſſ.* jam §. XXVIII. *ſeq.* præmonuerat, compertum, exploratumque. Horum *ſumma* eſt: כִּירַיִם idem atque *Rabbinorum* כִּירָה notaſſe. Scilicet τὸ כירה *focum*, vel *lo-*

cum

cum potius *in foco elevatum* & *excavatum*, qui *ignem* ſibi infra ſubjectum, ſuperne vero *duo*, ad *duarum* iis imponendam *ollarum* menſarum, haberet *orificia*, ſignificare, adeoque haud *leve*, כּוּפָּה ſive מקום שפיתת קדרה אחת *locum diſpoſitionis ollæ unius*, inter & כִּירָה ſive מקום שפיתת שתי קדרות *locum diſpoſitionis duarum ollarum*, intercedere *diſcrimen*, vetus cum *Miſchnicorum*, tum *Talmudicorum* exiſtit *traditio*. Id ipſum voluerat *Kimchius*, in *Lib. Radic.* inquiens: כירים הוא מקום שפיתת שתי קדירות לכך נקרא בלשון שנים והמלה נגזרת מםלת ככיור אש בעצי' לפי שמדליקין בו האש תמיד לבשל נקרא כן *Cirajim eſt locus, ubi diſponuntur duo ollæ. Hinc forma duali profertur. Vocabulum autem ipſum derivatur ex dictione* ככיור אש בעצים *Zach.* XII : 6. *Nam, quoniam, in eo ignem accendebant jugem, ad coquendum, ſic appellatur.* Ad *ignem* jugiter *in foco flagrantem*, alludi, vides. Quid *luminis* hic prælucere poterit, dicere non habeo. Id tantum adfirmare poſſum, non *invita* plane *Minerva*, notionem *accendendi*, vel potius *coacervandi ignem*, ſub כור & כיר *Radicibus* aſſumi. Nam كَوَّرَ כְּוַר *Arabibus* ſonat, *collegit in unum*

num & *congessit* quamcumque rem, & كوّر الكنار النار item اكتنار النار *ignem coacervavit*, apud *Giggeium* exponitur. Ad verbum esset: *conglomeravit, inque formam quasi rotundam collegit ignem.* Mire *hic* quadraret *ista idea.* Nec tamen *eam* nimis urgere ausim; multo minus, *auctoritati* τῶν ὁ, qui χυτρόποδες, per *quos*, docti indoctique, *sustentacula ollarum* sive *duo ad ignem constituta fulcra, inter quæ lebetes ex utroque latere fuerunt constituti*, intelligunt, substituerant, *inde* aliquid detractum velim. In medio potius relinquatur *utrumque*, atque, id quod res est, ingenue inculcetur, *significationem*, tum *exaltati foci duobus orificiis præditi*, tum *duorum ollas sustinentium instrumentorum*, non satis posse ex *Reliquiis Biblicis* expediri, adeoque liquidiorem simul & certiorem in *Dialectis Linguæ Hebrææ* lucem esse circumspiciendam.

§. V. *Certiorem* saltim ac *dilucidiorem* hujus aut illius *Vocabuli Hebraici* nemo desiderabit *commentarium*, quam qui, *sensu* & *serie Orationis* invitante, per *Dialectum Arabicam*, confirmari, atque adeo *extra omnem dubitationis aleam* collocari poterit. Fidem faciat *Gen.* XXXI: 34. Exstat ibi: *Et sumsit Rachel Teraphim*, ותשכם בכר הגמל ותשב עליהם. Obscuritatis *nonnihil* in τῷ בְּכַר הַגָּמָל residere,

L ab

ab *æquis rerum arbitris*, ſponte agnoſcitur. *In clitella cameli*, vulgo vertitur. Arriſit tamen nonnullis: *in ſtramento* vel *pabulo cameli*. Longe diverſum meditantur iter, qui *in dromedario cameli*, hoc eſt, *in camelo dromedario*, acquieſcunt. Negant hoc, quibus *pulvillum* & *ſtratorium*, ſuper quo dormitur, ſubſtituere viſum. Atqui *hæc omnia* ex ingenio, conjectandique artificio exſculpta. Vera notio, *Sellam camelinam*, quæ *forma* plerumque *rotundiori* exſtruebatur, repræſentat. *Domunculam*, cui dorſo camelino imponendæ *ſequior* præcipue *ſexus*, ſeſe, una cum *ſua ſibi parvulorum molli* & *tenera adhuc turba*, quum *iter* faciendum, *tradere* atque *incluſam tenere* ſolet, intelligeſis. *Id* uti cum *natura Præpoſit.* ב intime eſt conjunctum, ita totius quoque Pericopæ *egregium* pandit *conſpectum.* Nemo *hæc* in dubium vocabit, niſi qui hoſpitem valde ex *Animadverſionibus Schultenſianis in V. T.* retulit memoriam. Fundus *nobis* eſt *Arabum* كُوْرٌ quod الرحل باداته *ſella camelina cum omni ſuo apparatu*, & quidem, ut *Damirius* ait

يقعد به الانسان مع ماكولة ومشروبه وملبوسه وظروفه ووسايده

in qua homo ſedit, cum cibo, & potu, & veſtibus, & vaſis & pulvinaribus ſuis, declaratur. Vi-

Vivum *Linguæ* ufum ex *Tograiò* percipies, qui *Carm. fui Vs.* 13. *Editionis Pocockianæ* ita:

والركب ميل علي الاكوار من طرب
صاح واخر من خمر الكري ثمل

Comites autem inclinabant fe in fellis, alius *ex commoto*
Sobrius factus, *alius verò præ vino fomnolentiæ* adhuc *ebrius*.

§. VI. Quamvis autem verear, ne in *hujus Thematis* כור *propaginibus perfequendis* nimius fim, non poffum tamen, quin per *unicum* adhuc כִּכָּר telam fufceptam detexam. Id *vario* fub *adfpectu* occurrit. Nam, aliquando *talentum*, aliquando *planitiem* five *tractum regionis*, aliquando etiam *placentam* vel *maffam panis*; magno *Lexicographorum noftrorum* confenfu, indicat atque exprimit. *Cl. Rivetus* ad *Exod.* XXV: 39. *planitiem* feu *locum planum & depreffum* arbitratur *primarium*; indeque, *placentam* aut *tortam*, quafi *panem preffum* & *planum* dicas, ac denique *metallum*, five *ponderis fpeciem planam & extenfam*; *placentæ* ad inftar, quam *talentum* vocant, deducit. Digeftio fatis eft concinna. Sed jam dari mihi velim, unde, *rarior* tum *vocabuli hujus forma*, tum *loci plani* ac *depreffi*, illa haud dubie *fecundaria poteftas*, fit prognata! Ἀπὸ τοῦ כִּכָּר cujus

L 2 *Conjug.*

Conjug. Pibhel daret כִּפֵּר, plurimi respondent. Atqui *Thema* est *inusitatum*, nuspiam in *Bibliis* occurrens. Quid ergo כָּבָר *veteribus Hebræis* in *stirpe sua* signasse dicemus! An cum *Stockio* in *Clav. Ling. Sanct.* pag. 525. *Quod si verò in usu fuit, forte notavit*, extensus, planus, depressus fuit, *ceu ex voce ejus conjugata* כִּכָּר *colligere licet*. Non. Hoc enim tantundem foret, ac si quis diceret, *Planities* derivatur *Latinis* à *planus*, quod est à πλὰξ, ergo & *Hebræorum* כִּכָּר *planitiem* pingens, à *planando*, hoc est, *complanando* atque *æquando*, suam hausisse appellationem, certum, indubitatumque. Qui *sic* ratiocinantur, parum callent *naturas Linguarum*, atque, *cuilibet Linguæ* suum subesse *characterem*, *idæasque Orientalium* sæpiuscule mirum quantum ab *idæis Occidentalium* discrepare, omnium minime habent compertum. *Notionum* potius, meo quidem judicio, *series* immutanda, atque in *Dialectis* studiose vestigandum, num ibi *tutius* forte *fundamentum*, pro *stabilienda Conjectura nostra*, fuerit conservatum. Utique sunt, qui, primariam *Orbis* notionem, posuere. Horum meminit *Cl. Mercerus*, scribens: *Sunt qui in universum exponant* Orbem, *ut sicut* כּוֹר corus *est mensura maxima & capacissima in aridis (nam eo reducunt) sic hoc nomine prima geminata, significetur*

cetur maxima Rotunditas *in quantitate*, *in plano*, *vel in pondere: Regio circumcisa*, *item Portio orbicularis*, *massa*, *Frustum cujusvis rei. Hinc specialiter pro* Talento *sumitur*. Non tamen omnis calculus, huncce significatum à בּוֹר Cor, deducebat. *Ingenios. Avenario* quippe *longe aliud quid* ad manus sedet. Verba *ejus* sunt: כִּכָּר *portio orbicularis*, *orbis*, à *rotunditate circulari*, tribuitur *panibus*, *regionibus*, & *metallis*. Hinc *Cicer*, *cicercula*, genus leguminis à *forma orbiculari*. Vides, *Latini soni* cum *Hebræo* consensionem atque conspirationem, esse captatam. Quo ipso submonemur, Hebraicum ככר & Latinum *cicer*, *cicercula*, in *rotunditatis* saltem *circularis* potestate, mutuum sibi præstare auxilium. Nugæ. Ipsa interim *sententia*, quæ, principem *orbis* significatum, offerebat, sua *non* defraudanda est laude; quamvis forte, *conatum*, aliquid ex שֹׁרֶשׁ כִּכָּר definiendi, certisque limitibus circumscribendi, quis improbet. Nec ego *illum* approbaverim: cùm certum sit, atque indubitatum, *Thema* ככר, quod in *Dialectis* ægre invenies, nunquam adoptatum, nisi *formæ* raritas, *Grammaticis* æque ac *Lexicographis*, cruci fuisset. Proinde non mirum, *Johannem Forsterum*, cui eadem *orbis* idea, quam à *Magno Præceptore* suo *Reuchlino*, qui *tortam* seu *massam rotundam* exponit, haud dubie hauserat, adblandiebatur,

aliud adhuc *ei* præſidium ope *Rad.* כור circumſpexiſſe. *Hoc* juxta *eum*, ex *cognatione* cum קור, כרה & כרת, vim *fodiendi*, *perfodiendi*, nec non *excidendi*, traxit, indeque nobis *circularem*, ſeu *orbicularem aliquam portionem*, aut *regionem*, *quæ eſt circumciſa*, mirificus *talium* faber, exculpſit. Sit ita. Sed *unde* tum *literula* כ duplicata! *Id* ſi exquiras; nihil aliud, niſi *geminatam eſſe primam ſubſtantialem literam*, reſponſi loco auferes. Quod ſi tendas, quid *Dageſch forte, medium* tam pulchre *occupans*, valeat, magno te dimittet ſilentio, atque omni ulteriore abſolvet cura. Atqui ego, *idem illud ſolidum*, quo טטף & כבב ex *pronunciatu durioribus* טפטף & כבכב contrahuntur, atque *ſuperius* jam *pag.* 97. adſtructa, cernuntur, volebam; niſi quod *hæc* ex *Pyhhal*, *illud* vero ככר ex *Pihhel*, fuerit deductum. Huc oculos conjiciens *Cl. Schultens*, in *Clavi Dialectorum*, *pag.* 320. inquiebat: *Haud abſimili eliſione* ככר Maſſa panis, *& alia per metaphoram inde propagata*, *contractum eſt ex* כרכר, *a* themate *deperdito* כור, *quod eſt* كار colligit in figuram rotundam, convolvit in maſſam orbicularem; *unde in* Pihhel כרכר; *cujus derivatum* כרכר *eliſo priori* Reſch *emolli-*

tum

tum in כִּכַּר . Rectiſſime innexum : *& alia per metaphoram inde propagata.* Scilicet כִּכַּר *Maſſa in orbem* ſive *circularem in formam convoluta* primò *panis* , indeque *omnis rei* , ſinu ſuo , *duo* iterum ex ſe, continet , *propagata.* Prius *talentum* , quaſi tu *maſſam rotundiorem* argenti vel auri *majorem* dicas, depingit. Poſterius , *regionem* & *certum terræ alicujus tractum*, enodat. Proprie eſſet, ut puto , *pars quædam terræ rotundior*, atque *vicus* ad inſtar ſive *urbis*, antiquitus *orbem* quodammodo præſe ferentis , *limitibus* circumſcripta ; quod deinceps, *origine* penitus *amiſſa*, *uſuque* latius *extenſo*, ad *omnem late patentem terram*, adplicabatur. In *Arabum Dialecto*, haud abſimile *quid* admiſſum. Nam كُورَةٌ non ſolum pro *civitate*, *urbe*, verum etiam pro *regione*, *terræque tractu* circumfertur. Hinc in *Camuſo* ſpecialiter enunciatum دَائِرَةُ الْكُوَرِ. Id ſecundum, *Giggeium* eſt , *Regio.* Ad verbum: *Regio* vel *terra* quævis, late patens inter montes, *rotunditatis*, hoc eſt, *rotundior* , inque *orbem* quaſi *convoluta.*

§. VII. Atque *hæc* quidem hactenus. Nunc redeo *illuc*, unde *huc* defluxi. Ubi operam noſtram ſibi vindicat *Vocabulum* כַּנּוֹ plus, quam *Labri hujus ænei* , *formam rotundam præ ſe*

ferentis, mentio injicitur, occurrens. In *ſuas ſimplices* ſi *illud* reſolveris, *monoſyllabum* כֵּן vel כֵּן qui *Veterum Grammaticorum* inhæres veſtigiis, redire diceres. *Neutrum* placet. *Dageſch* enim *forte*, quod, *accedente incremento finali*, ex conſtanti *Linguæ* uſu, τῷ ן inſcribitur, *Kametzatum* potius כָּן exigere videtur Non diffiteor, quibusdam *exemplis* illam *formationem* à כֵּן vel כֵּן per *Dageſch* poſſe defendi; ſed ſi *aliud* commodius in promptu fuerit, *Analogiam* prætuliſſe *Anomaliæ*, tutius erit. Proinde non miraberis, quando *me* loquentem audiveris, *rem* & *rationem* ſimul perſuadere, ut *Verbum deficiens tert. rad.* כָּנַן pro *Derivato noſtro* כָּן ſtatuamus *Radicem*. Huc concedant omnes, quotquot *veritati Grammaticæ* litare, neque ſumma imis miſcere ſtudent, neceſſe eſt.

§. VIII. Sed quod nec tale *Thema*, nec *veſtigium* talis Thematis *verbale* ſignatiſſimum, in *Monumentis Biblicis* conſervatum deprehenderent *Hebraici ſtudii anteſignani*, alius alia circumſpicere cœpere. Ex hoc fonte dimanavit, quod *Nomina* כָּן βάσις ſecundum LXX. vel *ſcapus* ſecundum *Junium* & *Tremellium*, in Phraſi ſæpius recurrente עשה את הכיור ואת כנו, item כַּנִּים *Exod.* VIII: 12. &c. nec non כַּנָּה *Pſalm.* LXXX: 16. à *Forſtero*,

ſtero, *Coccejo*, *aliis*, ad כון revocentur, indeque non adeo limpide deducantur. *Cl.* tamen *Buxtorfius*, pro *duobus* hiſce *poſterioribus*, poſuerat כנן, ſed *cæcum*, atque incompertæ poteſtatis, indeque, quod melius nihil præſto foret, *prius* כנים per *pediculos*, *poſterius* autem כנה per *ſurculum*, *vitiarium*, ſenſu *Orationis* duce, declaraverat. Atqui, non *hæc* tantum, verum etiam כן, aliaque complura, *illuc*, unde, tum *formam*, tum *ſignificationem*, hauſerant, reduci debere, nemo homo eſt. opinor, qui inficias ire poſſit. Edat ergo *mihi* bonus *Hebraizans*, quid *obliteratum iſtud* כנן proprie reſonuerit, ut *inde*, quid כן, quid *alia*, in ſinu gerant, inque ſua dicant ſtirpe, pervidere poſſim. Eſtne *βαίνειν*! unde *Baſis*, ſpira *ſcapo* ſuppoſita. Eſtne *σκήπτειν*! unde *Scapus*, medium *baſin* inter & *epiſtylium*. Eſtne *ſurgere*! unde *Surculus*. Nihil *horum* adfirmatum video. *Avenarius* interim jam ulterius proceſſerat, atque כנן *noſtrum*, ob agnationem cum כון, indeque deductum *γεννάω* & *γίνομαι*, poteſtate *parandi aliquid firma baſi*, atque *collocandi ſuper pedamentum*, liberaliter donaverat. Haud abſimile, in *Clavi Linguæ Sanctæ Stockiana*, reperies. Exſtat ibi: כנן *firmus*, *ſtabilis fuit*. Non tamen docetur, unde *ea* hauſta ſit *notio*, & quâ *Dialecti auctoritate* nitatur. Si in can-

ſa *judex* ſederem, aciem *Viri Docti* hanc *firmi* & *ſtabilis* poteſtatem, quæ in *Chaldaiſmo*, in *Syriaſmo*, in *Arabiſmo*, &c. &c. roboris *nihil* & firmamenti habet, ex eodem כון confeciſſe nobis, pronunciare non dubitarem. Longe diverſum *hinc* meditatur iter *Antonius Clantius* in *Scriptionum Biblicarum Diſſert.* I. de *Labro Tabern.* &c. *Cap.* III. Edit ille כנן per *nidificare*, *manſionem ſibi conſtituere*, *nidulari*, indeque τὸ כן, *inſtrumentum*, *quod* nidi *adinſtar cavatum aptumque factum ſit*, *ad labrum ferendum*, *ſuſtentandumque*, notare autumat. *Fulcrum* ſive *pedamen*, quod, intus *concavum*, haberet *orificium* ſuperne, cui, inferior *labri* pars, inſerenda, intellige ſis. Quo ſenſu *id* jam, *ſcapum*, *fulcimen*, *loculamentum*, expreſſerant longe *Virorum* plurimi. Sed quodnam *fundamentum* ſuſtinet nobis hanc *nidi* ſubſtructionem! *Illa* nimirum *unius*, *ejusdemque organi literarum permutatio*, quâ uſitatum minus כנן per magis uſitatum קנן, & per conſequens כן per קן illuſtrantur, atque in *unum* quaſi *Thema* conflantur. Visne *verba*! En Tibi: *Hinc jam non ſine*, inquit, *ratione concludere licet*, *radicem* כנן, *ſi ſit obſoleta*, *propriiſſime notare*, & *primo quidem* nidificare &c. *derivatumque* כן *ejus* nidamentum: כן *itaque noſtri radix eſſe debet vel inuſitatum* כנן, *vel uſitatum* קנן, *quod omnino perinde erit*; *exigua tantum eſt differentia inter harum literarum ſonum atque pronunciationem*; &

& si dages inscribitur lene τῷ ב, *tum fere nulla: ecce! jam nullius ponderis profecto supererit difficultas: Hebræis enim aliisque Orientalibus populis nil usitatius, nil frequentius, quam quod literas, quæ ejusdem sint soni, mutent, unamque alterius loco ponant.* Hæc *veri* quid habeant, quid *falsi*, nunc non disputo. Tantum dicam, *nos*, per *Clavim Hebraizandi*, quam, generale *Grammaticorum* canon, *Literæ ejusdem soni sæpissime inter se permutantur*, suggerit, nunquam, de aliqua, *hujus* vel *illius vocis*, *locique*, explicatione, *securos* esse posse, neque debere, nisi, ope *illius*, producta *notio*, cum *cæteris*, *Sacro* æque ac *Profano Stilo* insertis, usibus amicissime conspiret, *mentemque*, cum *scribentis* admirabiliter exprimat, tum *legentis* suavissime impleat. Jam vero *nidificandi*, *mansionemque sibi constituendi* significationem haud aptam, ad *sententiam* ubivis locorum *explendam*, esse natam, non est, ut operose inculcem, quippe *quod*, sua sponte, in omnium *Dialectos callentium*, statim incurret oculos, atque etiam, inspecta *Reverendi Viri* Dissertatione, manu prehendi & teneri possit.

§. IX. Consequentiæ, ergo, ut adstringam nodum, prolapsæ *Veteris Hebraismi* res, *ejusdemque* dignitas, ac majestas, nec non *reverentia*, quam quilibet nostrum, *ipsissimo Dei verbo*, debet, uberius aliquid circumspicere, atque longe certius ex *Elementis* & *primordiis* ipsis *Linguarum Orientalium*, quæ cum *Hebræa*

matre

matre iisdem nituntur *radicibus*, deprehendere, unanimiter jubent; unde *id*, quod per *Europæos* nonnihil imminutum atque à vero deflexum, non *aliorum*, quam ipſorum *Orientalium ope*, ad fixam, priſtinamque ſuam ſedem & quaſi jurisdictionem revocari poſſit. *Hos* itaque ſi in totum ab *officio iſto* non repudiaveris, *Arabes* ex illorum numero in ſcenam prodeant, *Verbique* noſtri *naturam*, non in *Nidamento*, neque in *Firmo*, *ſtabilive*, ſed in *Re tegenda* atque *ſub tegumento quaſi condenda*, ſitam fuiſſe antiquitus, nobis edant.

Quo pacto, *primam Radicis* כָּנַן *Arabice* كَنَّ ut *conjugationem*, ſic *ſignificationem* dicere, *texit*, *condidit*, *cooperuit*, nec non *primum* ejusdem *Thematis* ut *derivatum* כֵּן *A abice* كِنٌّ, ſic *ſignificatum*, cujuslibet rei *operimentum*, *velum*, *tegmen* ſonare, nemo, niſi qui, quum *ſolis lumine* perfrui poſſit, *meras tenebras* ſequi præoptet, in dubium mihi vocaverit. Ex *Arabum* ſane *Dialecto*, hiccè, niſi *Viro* egregie *Docto*, *Ludovico de Dieu*, alluxiſſet igniculus, in *iisdem*, cum cæteris, *ipſi*, oberrandum fuiſſet, tenebris, neque unquam *eò* perveniſſet, ut pro *Baſi*, pro *Scapo*, ſubſtitueret *Tegmen*, ſive *Operculum*. Digna ſunt *ejus* verba, quæ hîc transſcribantur. Exſtant *ea* in *Crit. S.* ad hocce ואת־כיור ואת־כנו *Exod.* XXX : 28. *ſic* reſonantia : *Junius*

nius, & labrum & scapum ejus. *Pagninus*; *secutus τὲς* LXX. & basin ejus, *ut &* 1 *Reg.* VII: 29. וְעַל הַשְּׁלַבִּים כֵּן מִמַּעַל *vertit*, & super prominentias erat basis desuper. *Junius*, fulcrum. *Malim utroque in loco* tegmen, operculum *reddere. Nam* 1 *Reg.* VII: 27. Basis מְכֹנָה *dicitur*, *& plane erat aliud quam* כֵּן, *ut inspicienti liquet. Fuit enim* מְכֹנָה *infra*, *at* כֵּן *fuit* מִמַּעַל supra. *Est ubi* כֵּן, כַּנּוֹ *pro* dignitate *sumitur*, *in qua quis constitutus* tegumento *est &* protectioni *aliis. Sic sumitur Gen.* XL: 13. *&* XLI. 13. *& Dan.* II: *vs.* 7. 20. 21. 38. *Nam & apud Arabes verbum* כנן *(ad quod nemo negabit formam* כַּנּוֹ *melius quam ad* כון *referri) metaphoricè* protegere *&* defendere *significat.* Vestigia *Gravissimi bujus Interpretis* pressit, quin verba ipsa expressit *Doct. Herm. Gid. Clemens*, cujus *concinna* satis in *h.* itidem *loc.* prostat *Dissertatio singularis*, in qua per totum *Cap.* III. curriculum *id* præcipue agi scias, ut *Dieuanum istud*, evidentioribus tum *argumentis*, tum *exemplis*, firmaretur, adeoque ipsum *Labri operculum* extra omnem dubitationis aleam collocaretur, sicque in omne reliquum tempus stabiliretur. Magnum profecto conamen; quod *bono consilio*, an fuerit susceptum, *nec ne*, aliorum esto judicium.

§. X.

§. X. *Clar. Cremero* id *non* videtur, qui *Tom.* I. *Antiq. Mosaico Typic. pag.* 428. ita: *Non video satis rationis, cur* D. H. G. CLEMENS *in dissert. de Labro Æneo Cap.* 3. *adeo operose sententiam Cl. Viri* L. DE DIEU *non* scapum, *sed* operculum *intelligentis, propugnaverit. Licet enim regulariter à* כנן *magis ac à* כון *oriatur, vix tamen dubitari potest, quin notiones istorum vocabulorum sint cognatæ, & licet* 1 *Reg.* VII: 29. כֵּן *distinguatur* à מכונה; *tamen ibi etiam pro* operculo *non sumitur, quia non imponitur* labro, *sed* pars *est* τῶν שלבים. *Interim militant pro recepta sententia, quæ vult* scapum *vel* basin *intelligere, tum Græca* versio, βάσιν, *tum* ONKELOS בסים, *tum* JOSEPHUS *Antiq. Lib.* 3. *c.* 6. κρηπῖδα, *vertentes. Non tamen ideo negamus* Labrum *babuisse suum* operculum, *sed* illud *sub* Labro *ipso comprehendi potest.* Sed annon *satis rationis* est, *Analogiam Grammaticam*, quæ tanquam *Clavis*, in *omnibus* omnino *Linguis*, ad *earum profundiores recessus* tum referandum, tum ad omnes *eam* negligentes à *Vero Verborum sensu* excludendum, reputari debet, *religiose* tenuisse, *Æstumatissime Cremere!* Sic utique judicabunt, qui *Hebraica* adspicient, indeque nunquam, absque liquida *Dialecti alicujus* luce, vel etiam *hujus* vel *illius paralleli loci* probatione, *vix esse dubitandum, quin notiones Radicum* כנן & כון *fuerint cognatæ*, inculcaturi,

caturi, qui, quid *Linguas* constituat, deprehendere queunt. Nam כֵּן ἀπὸ τοῦ כון deduci posse concedo, sed כָּן *Kametz* in *Patach* & *Dagesch forte*, quando *affixum* accedat, resolvens, atque כַּנּוֹ *nostrum* excudens, *Themate* ab *eodem* oriri posse pernego. Nisi *id* restrinxeris, atque *formam* quidem τοῦ כנן, *significationem* autem τοῦ כון *ei* inesse dixeris. Quod foret absonum. Prudentissime interim adjectum: *Non tamen ideo negamus Labrum habuisse suum operculum*. Omnino enim videtur, ad *pulveris*, *cinerisve* inquinamenta, è *deserto* tum *circumjacente*, tum è *vicino Holocaustorum altari*, arcenda, *eo* indiguisse. Citra *majorem* tamen *vel* necessitatem, *vel* evidentiam, *illuc* non venirem, multo minus, *sub ipso labro comprehendi posse operculum*, pronunciarem. Nonne *scapus*, si non majori, eodem saltem jure, quo *operculum*, sub *Labri* appellatione, *genius* modo *utrumque* permitteret *Linguæ*, comprehenderetur! Jam vero *scapus*, perversâ *Hebraizandi* methodo, *Reliquiarum Biblicarum* solo obtruditur, atque lucis *defectu* melioris, *Lavacro æneo* supponitur. Cur ergo *Tegumenti* & *Operculi* vestigium, *quod*, Grammatices *tum* Analogia, *tum* genuina *Verbi* indoles, *tum* vivus *Dialecti Arabicæ* usus, *tum* Ratio *denique* haud contemnenda, lubentissime suggerunt, τῷ כֵּן suo in loco 1 *Reg.* VII: 29. relicto, *hic* non

ab *æquis rerum arbitris*, ſponte agnoſcitur. *In clitella cameli*, vulgo vertitur. Arriſit tamen nonnullis: *in ſtramento* vel *pabulo cameli.* Longe diverſum meditantur iter, qui *in dromedario cameli*, hoc eſt, *in camelo dromedario*, acquieſcunt. Negant hoc, quibus *pulvillum* & *ſtratorium*, ſuper quo dormitur, ſubſtituere viſum. Atqui *hæc omnia* ex ingenio, conjectandique artificio exſculpta. Vera notio, *Sellam camelinam*, quæ *forma* plerumque *rotundiori* exſtruebatur, repræſentat. *Domunculam*, cui dorſo camelino imponendæ *ſequior* præcipue *ſexus*, ſeſe, una cum *ſua ſibi parvulorum molli* & *tenera adhuc turba*, quum *iter* faciendum, *tradere* atque *incluſam tenere* ſolet, intelligeſis. *Id* uti cum *natura Præpoſit.* ב intime eſt conjunctum, ita totius quoque Pericopæ *egregium* pandit *conſpectum.* Nemo *hæc* in dubium vocabit, niſi qui hoſpitem valde ex *Animadverſionibus Schultenſianis in V. T.* retulit memoriam. Fundus *nobis* eſt *Arabum* كُوْرٌ quod الرحل باداته *ſella camelina cum omni ſuo apparatu*, & quidem, ut *Damirius* ait يقعد به الانسان مع ماكولة ومشروبه وملبوسه وظروفه ووسايده *in qua homo ſedit, cum cibo, & potu, & veſtibus, & vaſis & pulvinaribus ſuis*, declaratur.

Vi-

Vivum *Linguæ* uſum ex *Tograio* percipies, qui *Carm. ſui Vs.* 13. *Editionis Pocockianæ* ita:

والركب ميل علي الاكوار من طرب

صاح واخر من خمر الكري ثمل ۞

Comites autem inclinabant ſe in ſellis, alius *ex commoto*
Sobrius factus, alius verò præ vino ſomnolentiæ adhuc *ebrius*.

§. VI. Quamvis autem verear, ne in *hujus Thematis* כור *propaginibus perſequendis* nimius ſim; non poſſum tamen, quin per *unicum* adhuc כִּכָּר telam ſuſceptam detexam. Id *vario* ſub *adſpectu* occurrit. Nam, aliquando *talentum*, aliquando *planitiem* ſive *tractum regionis*, aliquando etiam *placentam* vel *maſſam panis*; magno *Lexicographorum noſtrorum* conſenſu, indicat atque exprimit. *Cl. Rivetus* ad *Exod*. XXV: 39. *planitiem* ſeu *locum planum* & *depreſſum* arbitratur *primarium*; indeque, *placentam* aut *tortam*, quaſi *panem preſſum* & *planum* dicas, ac denique *metallum*, ſive *ponderis ſpeciem planam* & *extenſam*; *placentæ* ad inſtar, quam *talentum* vocant, deducit. Digeſtio ſatis eſt concinna. Sed jam dari mihi velim, unde, *rarior* tum *vocabuli hujus forma*, tum *loci plani* ac *depreſſi*, illa haud dubie *ſecundaria poteſtas*, ſit prognata! Ἀπὸ τοῦ כִּכָּר cujus

L 2 *Conjug.*

Conjug. Pihhel daret כִּפֵּר, plurimi respondent.

Atqui *Thema* est *inusitatum*, nuspiam in *Bibliis* occurrens. Quid ergo כָּכָר *veteribus Hebræis* in *stirpe sua* signasse dicemus! An cum *Stockio* in *Clav. Ling. Sanct.* pag. 525. *Quod si verò in usu fuit, forte notavit*, extensus, planus, depressus fuit, *ceu ex voce ejus conjugata* כִּכַּר *colligere licet.* Non. Hoc enim tantundem foret, ac si quis diceret, *Planities* derivatur *Latinis* à *planus*, quod est à πλὰξ, ergo & *Hebræorum* כָּכָר *planitiem* pingens, à *planando*, hoc est, *complanando* atque *æquando*, suam hausisse appellationem, certum, indubitatumque. Qui *sic* ratiocinantur, parum callent *naturas Linguarum*, atque, *cuilibet Linguæ* suum subesse *characterem*, *idæasque Orientalium* sæpiuscule mirum quantum ab *idæis Occidentalium* discrepare, omnium minime habent compertum. *Notionum* potius, meo quidem judicio, *series* immutanda, atque in *Dialectis* studiose vestigandum, num ibi *tutius* forte *fundamentum*, pro *stabilienda Conjectura nostra*, fuerit conservatum. Utique sunt, qui, primariam *Orbis* notionem, posuere. Horum meminit *Cl. Mercerus*, scribens: *Sunt qui in universum exponant* Orbem, *ut sicut* כור corus *est mensura maxima & capacissima in aridis (nam eo reducunt) sic hoc nomine prima geminata, significetur*

cetur maxima Rotunditas *in quantitate*, *in plano*, *vel in pondere: Regio circumcisa*, *item Portio orbicularis*, *massa*, *Frustum cujusvis rei*. *Hinc specialiter pro* Talento *sumitur*. Non tamen omnis calculus, huncce significatum à כּוּר Cor, deducebat. *Ingenios. Avenario* quippe *longe aliud quid* ad manus sedet. Verba *ejus* sunt: כִּכָּר *portio orbicularis*, *orbis*, à *rotunditate circulari*, tribuitur *panibus*, *regionibus*, & *metallis*. Hinc *Cicer*, *cicercula*, genus leguminis à *forma orbiculari*. Vides, *Latini soni* cum *Hebræo* consensionem atque conspirationem, esse captatam. Quo ipso submonemur, Hebraicum ככר & Latinum *cicer*, *cicercula*, in *rotunditatis* saltem *circularis* potestate, mutuum sibi præstare auxilium. Nugæ. Ipsa interim *sententia*, quæ, principem *orbis* significatum, offerebat, sua *non* defraudanda est laude; quamvis forte, *conatum*, aliquid ex τῷ כִּכָּר definiendi, certisque limitibus circumscribendi, quis improbet. Nec ego *illum* approbaverim: cum certum sit, atque indubitatum, *Thema* ככר, quod in *Dialectis* ægre invenies, nunquam adoptatum, nisi *formæ* raritas, *Grammaticis* æque ac *Lexicographis*, cruci fuisset. Proinde non mirum, *Johannem Forsterum*, cui eadem *orbis* idea, quam à *Magno Præceptore* suo *Reuchlino*, qui *tortam* seu *massam rotundam* exponit, haud dubie hauserat, adblandiebatur,

aliud adhuc *ei* præſidium ope *Rad.* כור circumſpexiſſe. *Hoc* juxta *eum*, ex *cognatione* cum קור, כרה & כרת, vim *fodiendi*, *perfodiendi*, nec non *excidendi*, traxit, indeque nobis *circularem*, ſeu *orbicularem aliquam portionem*, aut *regionem*, *quæ eſt circumciſa*, mirificus *talium* faber, exculpſit. Sit ita. Sed *unde* tum *literula* כ duplicata! *Id* ſi exquiras; nihil aliud, niſi *geminatam eſſe primam ſubſtantialem literam*, reſponſi loco auferes. Quod ſi tendas, quid *Dageſch forte*, *medium* tam pulchre *occupans*, valeat, magno te dimittet ſilentio, atque omni ulteriore abſolvet cura. Atqui ego, *idem illud ſolidum*, quo טֹטָף & כֹּכָב ex *pronunciatu durioribus* טְפַטָף & כְּבְכָב contrahuntur, atque *ſuperius* jam *pag.* 97. adſtructa, cernuntur, volebam; niſi quod *hæc* ex *Pyhhal*, *illud* vero כִּכָּר ex *Pihhel*, fuerit deductum. Huc oculos conjiciens *Cl. Schultens*, in *Clavi Dialectorum*, *pag.* 320. inquiebat: *Haud abſimili eliſione* כִּכָּר Maſſa panis, *& alia per metaphoram inde propagata*, *contractum eſt ex* כִּרְכָּר, *a* themate *deperdito* כור, *quod eſt* كار colligit in figuram rotundam, convolvit in maſſam orbicularem; *unde in* Pihhel כִּרְכֵּר; *cujus derivatum* כִּרְכָּר *eliſo priori* Reſch *emollitum*

tum in כִּכָּר. Rectiſſime innexum: *& alia per metaphoram inde propagata.* Scilicet כִּכָּר *Maſſa in orbem* ſive *circularem in formam convoluta* primò *panis*, indeque *omnis rei*, ſinu ſuo, *duo* iterum ex ſe, continet, *propagata.* Prius *talentum*, quaſi tu *maſſam rotundiorem* argenti vel auri *majorem* dicas, depingit. Poſterius, *regionem* & *certum terræ alicujus tractum*, enodat. Proprie eſſet, ut puto, *pars quædam terræ rotundior*, atque *vicus* ad inſtar ſive *urbis*, antiquitus *orbem* quodammodo præſe ferentis, *limitibus* circumſcripta; quod deinceps, *origine* penitus *amiſſa*, *uſuque* latius *extenſo*, ad *omnem late patentem terram*, adplicabatur. In *Arabum Dialecto*, haud abſimile *quid* admiſſum. Nam كُورَةٌ non ſolum pro *civitate*, *urbe*, verum etiam pro *regione*, *terræque tractu* circumfertur. Hinc in *Camuſo* ſpecialiter enunciatum دَارَةُ ٱلْكُورِ. Id ſecundum *Giggeium* eſt, *Regio.* Ad verbum: *Regio* vel *terra* quævis, late patens inter montes, *rotunditatis*, hoc eſt, *rotundior*, inque *orbem* quaſi *convoluta*.

§. VII. Atque *hæc* quidem hactenus. Nunc redeo *illuc*, unde *huc* defluxi. Ubi operam noſtram ſibi vindicat *Vocabulum* כִּכַּר plus, quam *Labri hujus ænei*, *formam rotundam præ ſe ſe-*

ferentis, mentio injicitur, occurrens. In *suas simplices* si *illud* resolveris, *monosyllabum* כֵּן vel כֵּן qui *Veterum Grammaticorum* inhæres vestigiis, redire diceres. *Neutrum* placet. *Dagesch* enim *forte*, quod, *accedente incremento finali*, ex constanti *Linguæ* usu, τῷ נ inscribitur, *Kametzatum* potius כָּן exigere videtur. Non diffiteor, quibusdam *exemplis* illam *formationem* à כֵּן vel כֵּן per *Dagesch* posse defendi; sed si *aliud* commodius in promptu fuerit, *Analogiam* prætulisse *Anomaliæ*, tutius erit. Proinde non miraberis, quando *me* loquentem audiveris, *rem* & *rationem* simul persuadere, ut *Verbum deficiens tert. rad.* כָּנַן pro *Derivato nostro* כָּן statuamus *Radicem*. Huc concedant omnes, quotquot *veritati Grammaticæ* litare, neque summa imis miscere student, necesse est.

§. VIII. Sed quod nec tale *Thema*, nec *vestigium* talis Thematis *verbale* signatissimum, in *Monumentis Biblicis* conservatum deprehenderent *Hebraici studii antesignani*, alius alia circumspicere cœpere. Ex hoc fonte dimanavit, quod *Nomina* כֵּן βάσις secundum LXX. vel *scapus* secundum *Junium* & *Tremellium*, in Phrasi sæpius recurrente עשׂה את הכיור ואת כנו, item כַּנִּים *Exod.* VIII: 12. &c. nec non כַּנָּה *Psalm.* LXXX: 16. à *For-*

stere,

ſtero, *Coccejo*, *aliis*, ad כון revocentur, indeque non adeo limpide deducantur. *Cl.* tamen *Buxtorfius*, pro *duobus* hiſce *poſterioribus*, poſuerat כנן, ſed *cæcum*, atque incompertæ poteſtatis, indeque, quod melius nihil præſto foret, *prius* כנים per *pediculos*, *poſterius* autem כנה per *ſurculum*, *vitiarium*, ſenſu *Orationis* duce, declaraverat. Atqui, non *hæc* tantum, verum etiam כֵּן, aliaque complura, *illuc*, unde, tum *formam* tum *ſignificationem*, hauſerant, reduci debere, nemo homo eſt. opinor, qui inficias ire poſſit. Edat ergo *mihi* bonus *Hebraizans*, quid *obliteratum iſtud* כָּנַן proprie reſonuerit, ut *inde*, quid כֵּן, quid *alia*, in ſinu gerant, inque ſua dicant ſtirpe, pervidere poſſim. Eſtne βαίνειν! unde *Baſis*, ſpira *ſcapo* ſuppoſita. Eſtne σκήπτειν! unde *Scapus*, medium *baſin* inter & *epiſtylium*. Eſtne *ſurgere*! unde *Surculus*. Nihil *horum* adfirmatum video. *Avenarius* interim jam ulterius proceſſerat, atque כנן *noſtrum*, ob agnationem cum כון, indeque deductum γεννάω & γίνομαι, poteſtate *parandi aliquid firma baſi*, atque *collocandi ſuper pedamentum*, liberaliter donaverat. Haud abſimile, in *Clavi Linguæ Sanctæ Stockiana*, reperies. Exſtat ibi: כָּנַן *firmus*, *ſtabilis fuit*. Non tamen docetur, unde *ea* hauſta ſit *notio*, & quâ *Dialecti auctoritate* nitatur. Si in cau-

ſa *judex* ſederem, aciem *Viri Docti* hanc *firmi* & *ſtabilis* poteſtatem, quæ in *Chaldaiſmo*, in *Syriaſmo*, in *Arabiſmo*, &c. &c. roboris *nihil* & firmamenti habet, ex eodem כון confeciſſe nobis, pronunciare non dubitarem. Longe diverſum *hinc* meditatur iter *Antonius Clantius* in *Scriptionum Biblicarum Diſſert*. I. de *Labro Tabern*. &c. *Cap*. III. Edit ille כנן per *nidificare*, *manſionem ſibi conſtituere*, *nidulari*; indeque τὸ כן, *inſtrumentum*, *quod* nidi *adinſtar cavatum aptumque factum ſit*, *ad labrum ferendum*, *ſuſtentandumque*, notare autumat. *Fulcrum* ſive *pedamen*, quod, intus *concavum*, haberet *orificium* ſuperne, cui, inferior *labri* pars, inſerenda, intellige ſis. Quo ſenſu *id* jam, *ſcapum*, *fulcimen*, *loculamentum*, expreſſerant longe *Virorum* plurimi. Sed quodnam *fundamentum* ſuſtinet nobis hanc *nidi* ſubſtructionem! *Illa* nimirum *unius*, *ejuſdemque organi literarum permutatio*, quâ uſitatum minus כנן per magis uſitatum קנן, & per conſequens כן per קן illuſtrantur, atque in *unum* quaſi *Thema* conflantur. Viſne *verba*! En Tibi: *Hinc jam non ſine*, inquit, *ratione concludere licet*, *radicem* כנן, *ſi ſit obſoleta*, *propriiſſime notare*, *&* *primo quidem* nidificare *&c. derivatumque* כן *ejus* nidamentum: כן *itaque noſtri radix eſſe debet vel inuſitatum* כנן, *vel uſitatum* קנן, *quod omnino perinde erit*; *exigua tantum eſt differentia inter harum literarum ſonum atque pronunciationem*;

&

& si dages inscribitur lene τῷ ב, *tum fere nulla: ecce! jam nullius ponderis profecto superesset difficultas: Hebræis enim aliisque Orientalibus populis nil usitatius, nil frequentius, quam quod literas, quæ ejusdem sint soni, mutent, unamque alterius loco ponant.* Hæc *veri* quid habeant, quid *falsi*, nunc non disputo. Tantum dicam, *nos*, per *Clavim Hebraizandi*, quam, generale *Grammaticorum* canon, *Literæ ejusdem soni sæpissime inter se permutantur*, suggerit, nunquam, de aliqua, *hujus* vel *illius vocis*, *locique*, explicatione, *securos* esse posse, neque debere, nisi, ope *illius*, producta *notio*, cum *cæteris*, *Sacro* æque ac *Profano Stilo* insertis, usibus amicissime conspiret, *mentemque*, cum *scribentis* admirabiliter exprimat, tum *legentis* suavissime impleat. Jam vero *nidificandi*, *mansionemque sibi constituendi* significationem haud aptam, ad *sententiam* ubivis locorum *explendam*, esse natam, non est, ut operose inculcem, quippe *quod*, sua sponte, in omnium *Dialectos callentium*, statim incurret oculos, atque etiam, inspecta *Reverendi Viri* Dissertatione, manu prehendi & teneri possit.

§. IX. Consequentiæ, ergo, ut adstringam nodum, prolapsæ *Veteris Hebraismi* res, *ejusdemque* dignitas, ac majestas, nec non *reverentia*, quam quilibet nostrum, *ipsissimo Dei verbo*, debet, uberius aliquid circumspicere, atque longe certius ex *Elementis* & *primordiis* ipsis *Linguarum Orientalium*, quæ cum *Hebræa matre*

matre iisdem nituntur *radicibus*, deprehendere, unanimiter jubent; unde *id*, quod per *Europæos* nonnihil imminutum atque à vero deflexum, non *aliorum*, quam ipſorum *Orientalium ope*, ad fixam, priſtinamque ſuam ſedem & quaſi jurisdictionem revocari poſſit. *Hos* itaque ſi in totum ab *officio iſto* non repudiaveris, *Arabes* ex illorum numero in ſcenam prodeant, *Verbique* noſtri *naturam*, non in *Nidamento*, neque in *Firmo*, *ſtabilive*, ſed in *Re tegenda* atque *ſub tegumento quaſi condenda*, ſitam fuiſſe antiquitus, nobis edant.

Quo pacto, *primam Radicis* כָּנַן *Arabice* كَنَّ ut *conjugationem*, ſic *ſignificationem* dicere, *texit*, *tondidit*, *cooperuit*, nec non *primum* ejusdem *Thematis* ut *derivatum* כֵּן *Arabice* كِنّ, ſic *ſignificatum*, cujuslibet rei *operimentum*, *velum*, *tegmen* ſonare, nemo, niſi qui, quum *ſolis lumine* perfrui poſſit, *meras tenebras* ſequi præoptet, in dubium mihi vocaverit. Ex *Arabum* ſane *Dialecto*, hiccè, niſi *Viro* egregie *Docto*, *Ludovico de Dieu*, alluxiſſet igniculus, in *iisdem*, cum cæteris, *ipſi*, oberrandum fuiſſet, tenebris, neque unquam *eò* perveniſſet, ut pro *Baſi*, pro *Scapo*, ſubſtitueret *Tegmen*, ſive *Operculum*. Digna ſunt *ejus* verba, quæ hîc transſcribantur. Exſtant *ea* in *Crit. S.* ad hocce ואת־כיור ואת־כנו *Exod.* XXX : 28. *ſic* reſonantia : *Junius*

nius, & labrum & ſcapum ejus. *Pagninus*, *ſecutus τὲς* LXX. & baſin ejus, *ut & 1 Reg.* VII: 29. וְעַל הַשְּׁלַבִּים כֵּן מִמָּעַל *vertit*, & ſuper prominentiàs erat baſis deſuper. *Junius*, fulcrum. *Malim utroque in loco* tegmen, operculum *reddere. Nam 1 Reg.* VII: 27. Baſis מְכֹנָה *dicitur*, *& plane erat aliud quam* כֵּן, *ut inſpicienti liquet. Fuit enim* מְכֹנָה *infra*, *at* כֵּן *fuit* מִמָּעַל ſupra. *Eſt ubi* כֵּן, כנו *pro* dignitate *ſumitur*, *in qua quis conſtitutus* tegumento *eſt &* protectioni *aliis. Sic ſumitur Gen.* XL: 13. *&* XLI. 13. *& Dan.* II: *vs.* 7. 20. 21. 38. *Nam & apud Arabes verbum* كنّ (*ad quod nemo negabit formam* כנו *melius quam ad* כון *referri*) *metaphoricè* protegere *&* defendere *ſignificat*. Veſtigia *Graviſſimi bujus Interpretis* preſſit, quin verba ipſa expreſſit *Doct. Herm. Gid. Clemens*, cujus *concinna* ſatis in *h.* itidem *loc.* proſtat *Diſſertatio ſingularis*, in qua per totum *Cap.* III. curriculum *id* præcipue agi ſcias, ut *Dieuanum iſtud*, evidentioribus tum *argumentis*, tum *exemplis*, firmaretur, adeoque ipſum *Labri operculum* extrà omnem dubitationis aleam collocaretur, ſicque in omne reliquum tempus ſtabiliretur. Magnum profectò conamen; quod *bono conſilio*, an fuerit ſuſceptum, *nec ne*, aliorum eſto judicium.

§. X.

§. X. *Clar. Cremero* id *non* videtur, qui *Tom.* I. *Antiq. Mosaico Typic. pag.* 428. ita: *Non video satis rationis, cur* D. H. G. CLEMENS *in differt. de Labro Æneo Cap.* 3. *adeo operose sententiam Cl. Viri* L. DE DIEU *non* scapum, *sed* operculum *intelligentis, propugnaverit. Licet enim regulariter à* כנן *magis ac à* כון *oriatur, vix tamen dubitari potest, quin notiones istorum vocabulorum sint cognatæ, & licet* 1 *Reg.* VII: 29. כֵּן *distinguatur* à מכונה, *tamen ibi etiam pro* operculo *non sumitur, quia non imponitur* labro, *sed* pars *est* τῶν שלבים. *Interim militant pro recepta sententia, quæ vult* scapum *vel* basin *intelligere, tum Græca* versio ἡ βάσιν, *tum* ONKELOS בסיס, *tum* JOSEPHUS *Antiq. Lib.* 3. *c.* 6. κρηπῖδα, *vertentes. Non tamen ideo negamus* Labrum *babuisse suum* operculum, *sed* illud *sub* Labro *ipso comprehendi potest.* Sed annon *satis rationis* est, *Analogiam Grammaticam*, quæ tanquam *Clavis*, in *omnibus* omnino *Linguis*, ad *earum profundiores recessus* tum referandum, tum ad omnes *eam* negligentes à *Vero Verborum sensu* excludendum, reputari debet, *religiose* tenuisse, *Æstumatissime Cremere!* Sic utique judicabunt, qui *Hebraica* adspicient, indeque nunquam, absque liquida *Dialecti alicujus* luce, vel etiam *hujus* vel *illius paralleli loci* probatione, *vix esse dubitandum, quin notiones Radicum* כנן & כון *fuerint cognatæ*, inculcaturi,

caturi, qui; quid *Linguas* constituat, deprehendere queunt. Nam בֵּן מלא τῷ כון deduci posse concedo, sed בָּן *Kametz* in *Patach* & *Dagesch forte*, quando *affixum* accedat, resolvens, atque כַּנּוֹ *nostrum* excudens, *Themate* ab *eodem* oriri posse pernego. Nisi *id* restrinxeris, atque *formam* quidem τῷ כנן, *significationem* autem τῷ כון *ei* inesse dixeris. Quod foret absonum. Prudentissime interim adjectum: *Non tamen ideo negamus Labrum habuisse suum operculum*. Omnino enim videtur, ad *pulveris, cinerisve* inquinamenta, è *deserto* tum *circumjacente*, tum è *vicino Holocaustorum altari*, arcenda, *eo* indiguisse. Citra *majorem* tamen *vel* necessitatem, *vel* evidentiam, *illuc* non venirem, multo minus, *sub ipso labro comprehendi posse operculum*, pronunciarem. Nonne *scapus*, si non majori, eodem saltem jure, quo *operculum*, sub *Labri* appellatione, *genius* modo *utrumque* permitteret *Linguæ*, comprehenderetur! Jam vero *scapus*, perversâ *Hebraizandi* methodo, *Reliquiarum Biblicarum* solo obtruditur, atque lucis *defectu* melioris, *Lavacro æneo* supponitur. Cur ergo *Tegumenti* & *Operculi* vestigium, *quod*, Grammatices *tum* Analogia, *tum* genuina *Verbi* indoles, *tum* vivus *Dialecti Arabicæ* usus, *tum* Ratio *denique* haud contemnenda, lubentissime suggerunt, τῷ בֵּן suo in loco 1 *Reg.* VII: 29. relicto, *hic*

non

non agnoſcitur! Forte, quia *Veterum Auctoritatem* debilitare *aut* delibare videretur! Forte etiam, quia, idem *illud*, *Arabum* præcipue *auxilio*, in ſcenam producitur, *formæque* כנו attribuitur! *Utrumque* qui ſibi perſuaderi patitur, næ *hoſpes* ille in ratione *Linguarum Orientalium* verſatur: quippe in quibus omnibus *innumera* ſeſe objiciunt, *denſis* cooperta *tenebris*, atque miris ſæpe numero, *veteris* ſimul & *recentioris* ævi *Interpretum*, circumfuſa *hypotheſibus*, quas *nulla* ingenii humani *acies* perrumpere poſſit, niſi *ipſi illi*, quibus hæcce *ſacra* erant *domeſtica*, & cum matris lacte indebantur, nativum præpandant lumen, *noſque* ſic in *penitiorem* rei *cognitionem* intromittant.

§. XI. Subſiſtere *hic* poſſes, & in *portum* tibi nunc *mecum* pervehi liceret, niſi *utrique* illi *Laudatiſſimorum Virorum*, quorum *mens* nova illuſtrari geſtiebat luce, latus adhuc foderent, ſubmonerentque, ut *ne ſe cauſa cadere*, *æreque alieno obrui* patiamur, eò quod *metaphoricam* tantum *defendendi* ac *protegendi* ſignificationem τῷ כנן ſubjunxerint, atque *Rev. Clantium* eo ipſo induxerint, quo minus *ipſorum* conatibus *vel* favere, *vel* ſubſcribere ſuſtineat. *Hic* itaque, verbulo poſtquam inſinuarat, *Derivatum* כן, unde כַּנּוֹ, nullo modo à *Verbo quieſc. med. rad.* כון regulariter derivari poſſe, ſic pergebat: *Radix ergo neceſſario ſtatuenda eſt*

כנן

כנן, *sed & illud factum Hebræis obsoletum, Arabibus tamen usitatum, testatur* Cl. De Dieu; *& ipsius juxta verba significat metaphorice* protegere, defendere, *ei toto animo adsentitur* Doct. Clemens. *Quid vero proprie verbum apud* Arabes *notet, & ubi locorum* metaphorico sensu *pro* defendere *atque* protegere *occurrat, & quare metaphorice significatum illum habeat (ea profecto dicenda & demonstranda fuere) à neutro virorum addita vel præposita sunt argumentis eorum.* Justissima quærela. Vellem, *omnes* & *singuli*, quibus perpolitio *Studii Hebraici* cordi est, sese *ea* liberarent. Quo pacto, *nullus* omnino *significatus*, nisi, cujus certissimum appareat fundamentum, amplius reciperetur non solùm, verùm etiam *via*, qua, *hoc* vel *illud proprium*, sensim ac pedetentim in *metaphoricum* esset degeneratum, justissime simul demonstraretur. *Utrumque* enim, uti *&* mirificum *posteris* præferret lumen, *&* facilem præberet dijudicationem *veri* à *falso*, *certi* ab *incerto*, sic quoque *Diligent. Clantium* de *hujus afferti* non *probabilitate*, sed *veritate* esse persuasum, par est, ut credas. Dubito tamen, num *idem homo*, veritatis procul dubio amantissimus, *mentem Cl. De Dieu* plene intellexerit, ejusdemque *verba* justo satis filo evolverit! quum, *Tegmen*, *Operculum* non à *propria*, sed *metaphorica* Thematis sui notione, sub *nomine nostro* כן assumi atque propagari, existimat. Nam *istud* כנן per

M *pro-*

protegere & *defendere* μεταφορικῶς interpretatum, non ad *Tegmen* ac *Operculum*, ſed ad כן & כנו *Dignitas*, in qua quis conſtitutus *tegumento* eſt & *protectioni* aliis, pertinuiſſe, *ei*, qui *integrum contextum* contentiore acie inſpicero ſuſtineat, in proclivi erit judicare. *Tegmen* ergo illud, *Operculumve*, ut in *Dialecto Arabica* fundatiſſimum, *hic*, abſque ulla *Originis ſuæ* ſive *Poteſtatis propriæ* ac *corporeæ*, quæ *tegere*, *operire*, *velare*, &c. valet, declaratione, nude tantum proponitur. Atque hinc nemini mirum accidere poterit, *tegendi* vocabulum ad *defenſionem* ac *protectionem* tranſlatum eſſe. Nihil enim proclivius, nihilque in mundo magis; quod vel unicum *Græcorum* στέγειν, & *Latinorum* planiſſume *hinc* effloreſcens *tegere* in totum detexerit, atque abunde docuerit. Quin *ipſum* كنّ כנן apud *Lexicographos* per ستر כהר *velavit*, *velo prætexit*, primario, indeque *defendit* ac *cuſtodivit*, declaratum videmus. Inde *Phraſes* in *Theſauro Giggeiano* enotatæ اكننت الشي & كننت الشي *Texi rem*, pro *defendi eam* ac *cuſtodivi*. Nec non اكن الناس من المطر *Viros à pluvia tuere*. *Illis umbraculum ad pluviam arcendam elabora.*

§. XII. Eundem autem *uſum Hebræis* reddere nolle, non eſſet prudentiæ. Pro ſpecimine habeas *Eſai.* XLV : 18. *Sic ait Jehova*, *creator*

ator cœlorum, ipse ille Deus, formator terræ & opifex ejus הוא כוננה· Item *Hab.* II: 12. *Væ ædificanti civitatem in sanguinibus,* וכונן *urbem in perversitate.* Utrumque hactenus ad כון reductum, indeque τὸ *Pihhel* כונן in *stabiliendi* atque *firmandi* notione unanimiter adoptatum. Nisi quod *Cl. Venema* ad *Camp. Vitringæ Cant. Mosis pag.* 69. pro *priori* כוננה *obumbrandi* atque *tegendi* Thematis כנן laudaverit *potentiam*, eamque *loco præsenti* satis feliciter applicaverit. Atqui *utrumque istud* nimis cito *stilum* immutabat. *Qui*, ut constaret, formisque præcedentibus *ex æquo* conveniret, *Particip. Ben. Kal* כונן à כנן exigere sibi videtur. Vertas ergo *Hab.* II: 12. *Et tegenti* &c. Hoc, per *defensorem* urbis, ejusque *protectorem*, interpretari est. *Esaianum* autem: *Ipse custodiens eam*; & luculentam *Providentiæ divinæ* habebis descriptionem. Non tamen ex *eodem fonte* fluxisse censuerim *Deut.* XXXII: 6. הלא־הוא אביך קנך הוא עשך ויכננך ita conversum: *annon ipse pater tuus, qui acquisivit te!* annon ipse *qui fecit te, & obumbravit te!* Isto quidem *adspectu* quilibet facile intelligeret, *futurum* pro *præsenti* esse opportunissimum, quum sic innuatur, *quid Deus faciat*, & *quid facturus sit.* Sed fortius, atque tum pro *Orationis*,

tum *gradationis* ſerie concinnius, quod, ἀπὸ τῷ כון eandem *formam auctiorem*, formabat. Hinc omnium ore circumfertur: *qui ſtabilivit*, aut *confirmavit te*. Nihil carpo, nihil muto. *Futurum* tantum pro *præſenti*, amiſſa illa *temporis Enallage*, ſubſtituerem. Agnoſces *firmatum*, *ſtabilitum*, *conſummatumque honoris*, *dignitatisve ſtatum*, quem Judæorum *Reſpublica*, itinere abſoluto, in ipſa Cananæorum terra, demum habebat exſpectandum, ſi ſpecialiorem *Thematis* hujus in *Sacris* æque ac *Profanis Scriptis* nemini non obviam *poteſtatem* contuleris.

§. XIII. Quam interim *Tegminis* ac *Operculi* probationem *Cl. de Dieu* domi retinuit, *eam* nos, ex صحاح اللغة ſive *Linguæ lectiſſimo corpore*, æterni nominis Lexicographi *Gjeubarii*, promamus. *Is* ita الكن السترة والجمع أكنان قال الله تعالي وجعل لكم من الجبال اكنانا والأكنّة الأغطية قال تعالي وجعلنا علي قلوبهم اكنّة الواحد كنان قال عمر بن ابي ربيعه

تحت عين كنانها ظل برد مرحل

الكساي

الكساي كَنَنْتُ الشيَ سترتُهُ وصُنْتُهُ مِنَ
الشمس واكْننته في نفسي اسررته وقال
ابو زيد كننته واكننته بمعني في
الكن وفي النفس جميعا تقول كننت
العلم واكننته فهو مكنون ومُكَنّ
وكننت الجارية واكننتها فهي مكنونة
ومُكَنّة والكنة بالضم سقيفة تشرع
فوق باب الدار والجمع كنّات

Vox כן *notat* סתרה tegumentum, *cujus plur. est* אכנאן. *Dicit Deus in Alcorano*, fecitque vobis *è montibus tegmina. Item plural. fract.* אכנה Achinna *sunt* operimenta quævis. *Iterum in Alcorano*, *& effecimus super cordibus eorum operimenta. Ejus singulare est* כנאן. *Dixit Omar Ibn Abi Rabija:*

Sub oculo, cujus operimentum est umbra vestis striatæ.

Kisajus auctor est *Conjug.* I. *adhiberi* in re tegenda *&* à sole prohibenda. *Quart. vero quum* secretum recondis in animo. *Abu Zeydi auctorita.*

ritate I. & IV. usurpatur in eadem significatione condendi & sub tegmine *vel* in animo, peræque. *Hinc dicis in I. & IV.* condidi scientiam, *cum Participiis* מכנן & מכן. *Item* condidi puellam *in I. & IV. cum Particip.* מכננה & מִכֻנָּה. *Forma* כִּנָּה *notat* Tectum prominens *vel* protensum super januam domus, *cujus Plural. San. est* כנות.

§. XIV. Ex hac itaque *tegendi* atque *sub tegmine condendi* amplissima *Verbi nostri* כנן ditione, propriaque *ejusdem* potestate, sponte jam effluere, inque aurem, animumque mira jucunditate simul influere τὸ כֵּן *Tegmen* sive *Operculum*, lavabro æneo *imponendum*, neminem tam ἄμυσον fore crediderim, ut inficias ire sustineat. Ut autem non sine gravi *variorum Auctorum* detrimento, *proprietas* istius *Vocabuli* Latini *Tegmen*, quod κατὰ συγκοπὴν est pro *tegimen* à *tego*, Græcis στέγω, in *operiendo* & *occultando* sita, ignoraretur, sic quoque *principis hujus potestatis* nonnihil *Interpretum sagacissimis* hic illic obstitit *ignoratio*, quo minus suum splendorem, antiquumque honorem *diversis Sacræ Scripturæ pericopis*, in primis *talibus*, quarum *interior*, ab interiori *stirpis* כנן cognitione, dependebat *intelligentia*, reddere potuerint.

§. XV. Illustri erit documento *Job.* XXXI: 15. Verba *ejus* hæc: הלא-בבטן עשני עשהו ויכוננו ברחם אחד. Receptissima *Versio* est: *Nonne*

Nonne in utero, qui fecit me, fecit eum! & disposuit nos in ipsa vulva idem! Sic *Junius* & *Tremellius*, ex notione illa *disponendi*, *formandique* τȣ̃ כון, quam *Vulgatus* quoque inbiberat: *Numquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est, & formavit me in vulva unus!* Vides variari admodum in *affixione Pronominis* reddenda; quam unus *singulariter*, alter *pluraliter* accipiebat. Hoc unde depromtum! nescio. Nisi τὸ יכוננו ab *illo* quidem in יכונן & *affixum* 3. *Masc. Sing.* הו cum ן *Nun Epent.* ab *hoc* vero in יכונן itidem, vel potius in יכון & *affixum* 1 *Comm. Plural.* נו resolutum, admiseris. *Posteriori* hacce *opinione* nihil verius, & *praecedenti enunciato* conjunctius nihil. Firmat eandem *Chaldaeorum Paraphrastes Onkelos*, cujus sunt: הלא בכריסא עברני מן דעבריה ואתקן יתנא במעיא חד *Annon in ventre fecit me, qui fecit illum? & aptavit nos in visceribus unus?* Sed ne *sic* quidem omnia liquida. Nam major adhuc scrupulus *omnis aevi Criticos* pressit. Hunc, ex *ipsa Punctatione*, quâ mirum in modum fluctuatur, deprehendes. Dicti *veritas* nemini non ex *Altingio nostro* obvia. Is in *Fundam. Punctat. Ling. S.* §. 140. *p.* 304. ita: *affixum* נו *cum futuris habet semel Segol*, וַיְכוּנֶנּוּ & aptavit nos *Job.* 31: 15. *ubi Dages euphonicum in Nun radicali*

dicali. Kimchi in Lexico ſcribit ויכננו *quomodo ratio aliqua eſt* τῷ *Dages. Alii legunt* ויכוננו & aptavit ipſum: *ubi omnia analoga.* Mihi non eſt, hoſce componere fluctus. In ampliorem potius excreſcant molem, ſi *Menaſſes ben Iſrael*, item *Joſephi Athiæ*, nec non *Joannis Cocceji* relegeris *Lectiones*, neceſſe eſt. *Hæc* ויכוננו *Illa* ויכוננו *Iſta* ויכוננו exhibebat. Tantum, quod res eſt, dicam. Scilicet dubitatur, *Activane* ſit *Conjugatio*, an *Paſſiva*! Prior quibus placuit, eorum ferme τὸ ויכוננו ex *Pihhel* inolevit *Codicibus*. Poſteriorem vero adhamentes, *alterum* ויכוננו ex *Pyhhal* in ſcenam produxerunt. Nos *Activum* hîc maluмus, quam *Paſſivum*. Neque obſtat *Dageſch*, quod *priori* *Nun*, poſt *Vocalem longam* ו *Cholem*, ſe inſeruit. Nam & *ejus* non nunquam *Conjugatio Pihhel*, frequentius licet & *Active* כונן & *Paſſive* כונן formans, *particeps* eſſe potuit. Specimen eſto הוּלל *Pſal.* LXXVIII: 63. Idem obſervare eſt in יולד *Job.* V: 7. Unde concluderem *iſtud Dageſch* non eſſe *Euphonicum*, ſed *literam* vere *duplicans*, atque, reſpectu *certæ* alicujus Terræ Orientalis *Dialecti*, neceſſarium. Credo equidem omnem *Conjugationem Dageſchatam*, quæ ad evitandam mul-

multiplicationem *similium literarum*, loco *Vocalis brevis* & *Dagesch fortis* assumebat *Cholem*, isto insuper *Dagesch forti* intendi posse, & *talia* ὥσει κόνις extitura, si *Veterum monumentis* abundaremus. *Scrupuli* tamen *non nihil* relinquit *affixum* נו, quod *formæ absolutæ* יְכוֹנֵן à fine adjectum, plenum *primò* יְכוֹנְנֶנּוּ in יְכוֹנְנֵנוּ *deinceps* contrahendum, unice produxerit. Nisi dixeris, *unicum illud Dagesch genuinum*, vicem *utriusque*, indicii nempe tum *Conjugationis*, tum *Contractionis*, implevisse. At non placebit, *nimis leve* & *fluxum* hocce *præsidium*, iis, qui critico pollent judicio. Quid ergo! requiritur omnino *limpidius* quid, quod *præstantissimorum Codicum Auctoritati*, sive retineatur וַיְכוֹנְנֶנוּ sive etiam substituatur וַיְכוֹנְנֵנוּ, è diametro respondeat. *Utrumque* habebis, si non *auctam*, sed *simplicem* assumas *Conjugationem*. Intellige sis *Kal*, cujus *futurum* à *Themate* non solum *defic. tert. rad.* כנן, sed & *quiesc. med. rad.* כון in *Tert. Masc. Sing.* & יָכֹן & יָכוֹן ex æquo admittere, nemo opinor erit, qui ignoret. Non dubitabit quoque, qui *horum Verborum naturam* rite habet comprehensam, quin ad idem *Futuri* tempus, *forma*, quam *derivatam* non utique à כון sed à כנן sub manibus habemus, sit referenda. Non enim *illud*, sed *hoc* tantum, accedente *incremento*

mento finali נו non minus *ἀναλογῶς* יְכוֹנְנוּ quam יְכוֹנְנוּ formaverit. Quid ni à כון! roges. Quia ex *illo fonte*, non nisi יְכוֹנְנוּ & יְכוֹנְנוּ absque *ulla Dageſchata litera*, potuit profluxiſſe. Fundamentum *rei* ſubjicere *aſſertæ*, foret in promtu. Sed non diffido *Lectori meo*, ſponte *illud* ſenſuro. Dicere autem velle, *eoque ipſo* ulterius objicere, *Vocalem longam* ו *Cholem* vel ו *Schurek*, ſequente *Dageſch forti*, ad celeriorem ſimul & faciliorem adhamandam pronunciationem, in *oppoſitam* ſibi *brevem* corripi, adeoque cum *Kimchio* וַיְכֹנְנוּ vel etiam וַיְכֹנְנוּ legi debuiſſe, eſſet *id* anxie definire, quod *genius Populi*, penes quem, & *Loquendi* fuit *arbitrium*, & *Scribendi norma*, nullis plane circumdedit terminis.

§. XVI. Nulla proinde *mihi* difficultas in *hoc Verbo* quod ad *Analyſin*. Liquidiſſimam ſimul & commodiſſimam *Thematis* ejusdem potentiam, quæ *Scopo*, Orationisve *ſeriei* apprime conveniat, tantum deſidero. Tradit ea, *nemini mortalium*, *ullam*, *præ ſocio ſuo*, *in hoc mundi theatro*, *exſtare prærogativam*. Ratio, quia *ſimillima* plane ac *eadem* omnium omnino tam *divitum*, quam *pauperum* hominum ſit *procreatio*. Ad *hanc* inſinuandam, propiusque commendandam, duo *lectiſſimæ* adhibentur *Phraſes*. Prior reſonat בבטן

עשה

עשה. Posterior autem dat כנן ברחם. *Utramque* convertit *Vener. Venema*, integræ pericopæ *sic* constituto sensu: *Nonne in utero factor meus fecit ipsum*; ויכוננו & *recondidit nos in utero unus* vel *obumbravit*. Hunc *recondendi* vel *obumbrandi* usum *Eximio Viro* præstabat *Dialectus Arabica*, cujus كنّ idem quod כנן ita transferri, supra jam est adstructum. Rectissime ergo *id* observatum. Vereor tamen, num ex רחם, æque ac בטן, per *Uterum* conversis, vis *ejus* propria, *dictique* pulchritudo, satis traluceat. Ad quam exprimendam *Ant. Clantius* formabat: *Nonne ille, qui me in utero formavit, ipsum fecit! & unus nos in vulva foveri fecit!* vel *& in una vulva excludi nos fecit!* Nunquam *hæc* intelliges, nisi *suum* ipsius *Interpretem* agat *Vir Doctus*, qui τῷ כנן hoc quidem in loco, *actum talem*, *qualem cœli volucres peragunt nidum constituendo sibi*, vel *fovendo*, quem *Latini* vocant *nidificare*, *nidulari*, attribuerat, indeque τὸ יְכוּנֶנּוּ tanquam *Conjug. Pyhbal*, quæ *Passivam* habeat *potestatem*, duplici modo, vel per *foveri nos fecit*, vel per *excludi nos fecit*, fidenter admodum declaraverat. *Utrumque* extra oleas. Et si adulterina illa *nidificandi*, &c. staret notio, quis tamen quæso, *talem*, qualis in *fovendo*, sive *excludendo* conspicitur, absque certissima te-

temeritatis nota, *inde* derivaverit *ideam.* Eft quoque paulo incommodius, utrumque *vocabulum* רחם fcilicet & בטן per *Uterum* ac *Vulvam*, uno *orationis* halitu, expofuiffe. *Idem* enim *Latinis* fonat *utrumque*, in *abftracto* fi occurrat; fin in *concreto*, tum *Uterus* eft τὸ κάλυμμα τῆς μήτρας, quod *fœtum* continet; *Vulva* autem *os uteri*, five *interfemineum.* Nam *Ifidori* judicio, *vulva* eft *vocata quafi valva ventris, id eft, janua, vel quòd femen recipiat, vel quòd ex eâ fœtus procedat.* In *pofteriori* hocce, *exclufionem* fieri *fœtûs*, multo minus *ejusdem fotionem*, tanquam in *fuo nido*, cave credas. *Ordinem* profecto inverteres *naturæ.*

§. XVII. Enimvero fubtilius quid ac multo nervofius *duo* hæcce *vocabula* infideat, neceffe eft. *Hoc* perfecuturus ego, & ad infigne Scripturarum lumen è tenebris extracturus, obfervo, *Procreationi integræ humani corporis infervientia duo* inter fe plane *diverfa* heic commemorari *loca.* Quorum τὸ בֶּטֶן *Conceptioni*, futurique fœtûs *conftitutioni* fubfervire, τὸ רֶחֶם vero *ejusdem* rudis adhuc & indigeftæ molis *fœtûs formationem*, *ulterioremve perfectionem* adjuvare, etiam atque etiam inculco. *Prior* ab *hodiernis Medicorum filiis* appellitatur *Ovarium*, veteribus *Teftis Muliebris* dictum, ad quod *liquor viri genitalis*, vel accuratius loquendo, *animalcula viva oblongo-rotunda* ifti liquori *innatantia*, atque *ipfiffimum* futuri corporis

poris *rudimentum* repræſentantia, inque *arvum naturæ* injecta, per *tubas Fallopianas* transmitti, & *ſic*, *uno alteroque* reſidentium ibidem, tanquam in ſuo nido, *ovorum* impraegnato, *conceptionem fieri*, compertum, exploratumque pronunciant, qui haud ſegnem *Theoriæ Medicæ* navarunt operam. *Poſterior τῦ Uteri* venit *nomine*, ad quem *tale ovum imprægnatum*, mox *tubarum* iterum *Fallopianarum ope* devolvitur, ut ibi ſuas *agat* radices, *majorique ſeſe involvat integumento*, & nova pro ulteriori *fœtus* incremento *recipiat* nutrimenta, donec, *ipſum embrionis*, in eam, qualem nunc habemus, figuram redactum, *corpus*, rupto illo *ſecundinarum involucro*, per partum edatur, atque in lucem protrudatur. *Uſui illo priori* ſubmittitur עָשָׂה *facere*, indeque effertur בַּבֶּטֶן עֹשֵׂנִי עָשָׂהוּ *in ventre faciens me*, *fecit illum*. Hoc *Pſalm*. CXXXIX : 15. enunciatur : *Non abſconditum fuit corpus* ſive *ſubſtantia mea à te*, אשר-עשיתי בסתר *quando factus ſum*, à temet nimirum ipſo mediantibus naturæ viribus, *in occulto*; hoc eſt, ſecundum *R. Iſaacidem* בתשמש *in congreſſu conjugali*: Proprie eſſet *Locus involucro* quaſi ac *velo undiquaque tectus*, *obductusve*, *Ovarium* puta, vel potius *Ovum*, quod *lympha* plenum, membrana conſtat tenui ac poroſa, in *quo*, tanquam in *recondita naturæ officina*, ejusdemque *ſecretiſſimo clauſtro*, prima *futuri corporis* adaptantur ſtamina.

ſtamina. Geminum plane atque gemellum in *noſtro* בטן *Arabice* بطن reſidet, quod *interiorem*, *occultam*, *abditam* & *non conſpicuam* cujuscunque rei *partem* in genere expreſſiſſe, ſcias. Nec dubium, quin *Conceptionis locus* ſub appellatione τῦ בטן *Ventris* κατ' ἐξοχὴν non nunquam veniat intelligendus. *Syri* ſaltem *illud* hocce uſurpant *ſenſu*. Hinc dicunt ܬܩܒܠܝܢ ܒܛܢܐ תקבלין בטנא συλλήψῃ ἐν γαστρὶ *Luc.* I: 31. Quin *ipſum Thema* ܒܛܢ pro *imprægnari*, ac *in ventre concipere*, haud uno in loco, apud *eosdem* frequentatur. *Exemplum* cape ex *Librorum N. T. Paraphraſte Syriaco*. Exſtat *Luc.* I: 24. ܒܛܢܬ ܐܠܝܫܒܥ ܐܢܬܬܗ συνέλαβεν Ἐλισάβετ ἡ γυνὴ αὐτῦ. Tale quoque eſt *Matth.* I: 23. ܗܐ ܒܬܘܠܬܐ ܬܒܛܢ Ἰδοὺ, ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει. Adjungas velim *Luc.* II: 21. ܥܕܠܐ ܢܬܒܛܢ ܒܟܪܣܐ πρὸ τοῦ συλληφθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ κοιλίᾳ. Diſtinctius nunc intelliges *Eſai.* XLVI: 3. *Auſcultate mihi domus Jacobi*, *totumque reſiduum domus Iſraelis*; העמסים מני-בטן הנשאים מני -רחם. Vulgo red-

redditur: *qui bajulamini inde ab utero*, *qui gestamini inde à vulva.* Concedo, *quicquid* contenditur; & *sensum*, quem sat feliciter *Virorum plurimi* hic jam assecuti, teneo. Elegantiori simul & *spectabiliori facie* tamen *eundem* lubentissime induerim. Quam quia impræsentiarum non nisi tenuissima conjectura assequor, nec per omnia *justo* ejus perfruor *lumine*, expromere necdum possum.

§. XVIII. *Tu* interim cogites, invitare *quid* poterit, *luculentum* בטן inter & רחם agnovisse *discrimen:* quippe *quod*, & *res ipsa* suggerit, & variata *loquendi* forma confirmat. Horum *posteriori* in nostro *Jobæo* contextu *se* quam facillime τὸ בטן aptari patitur. *Notio* ejus *custodiendi*, *defendendi*, *obumbrandi*, &c. &c. non est *Originalis.* Plane *ejusdem* est *indolis*, cujus, *Abu Zeydi auctoritate*, mentionem injecerat *Zjauharius.* Sistebat *illa* in I. & IV. *Conjug.* cum *Partic.* מכן مُكَّن & מכנון مُكْنُونٌ *condere secretum*, *altoque demittere pectore.* Non dubitabis, si *Bohadinum* Filium *Sjeddadi* evolveris. Hic in *Vita & Rebus Gestis Sultani Saladini Cap.* IV. *p.* 15. ita: وكانت المصلحة في الصلح وظهر ذلك لما ابدت الاقضية والاقدار ما في مكنونها *Una proinde salus*

salus nobis pax. Id quod evidentissime apparuit; quum fata explicuissent, quod in sinu abditum, altaque mente repostum *gererent*. Alterius nec censendum est generis, quamvis non omnino sit idem, nunc tradendum. Ad illud *Muhammedis*, quod *in Alcorano Sur.* LII. *Aj.* 23. relatum legimus, digitum intendo. Sonat

ويطوف عليهم غلمان لهم كانهم لولو

مكنون *In gyrum autem ibunt circa illos adolescentes* obsignata hactenus *intactæ virginitatis* conditione *præditi*, *ac si ipsi essent Margaritæ* in conchis quasi suis *custoditæ* adhuc *asservatæque*, nec *ullum expertæ vitium.* Longe diversum hinc præstat *usum*, quod *ejusd. Lib. Sur.* XLI.: *Aj.* 5. invenies : وقالو

قلوبنا في اكنة مما تدعونا اليه

Et dixerunt : Corda nostra sunt obdurata & in obstinatam mentem tradita, *circa id*, *ad quod nos vocas.* Ad *literam* esset: *Sunt in tegumentis.* Contrario sensu *Ibn Haditi*, qui *Homel.* in *Festum Nat. Bened.* hunc ad modum loquitur

ظهرت سنة الايمان فهغرت الاكنة عن

القلوب والاذهان *Apparuit lex fidei : recessere tegumenta à cordibus, mentibusque.* Omnia, à primaria, eaque corporea *tegendi*, *tegumento*

to quasi circumvolvendi, atque ita *abscondendi*, *occultandive* pendent *idea*. Hanc non spernent in τῷ וַיְכוֹנְנוּ æqui Judices, liquidum *hinc* habituri *sensum* ac rotundissimum. Quem simul juvaverit, quin illustriorem reddiderit *Origo Vocabuli* statim subjuncti רֶחֶם *Uterus*, τὸ ἐμβρυοδόχον ἔντερον. Adfert *mollitiem*, sive potius *fotum mollem*, quam *uterus*, vel *externe* præbet, vel *interne* præstat. Nam *Radix* est רחם cujus *primigenium*, forte ad θάλπειν, *fovere*, hoc est, calorem, vigoremque nativum procurare, ac tueri, revocandum, *superius* jam insinuavi. Melius *Hebræi*, quam *Latini*, quibus *uterus* ab *utre*, quod *figuram*, *usumque ejus* quodammodo repræsentet, ducere visum fuit.

§. XIX. Cogas ergo, efficiasque hisce *ex* omnibus: *Annon in ventre faciens* me, *fecit eum! & obtexit nos*, involucro quasi condidit, *in utero unus!* atque nihil illustrius, subtiliusque nihil deprehendes, *quo* exciderunt, quotquot בטן & רחם singulari *hic* arte & judicio *à se invicem* discriminatum, in *unum* commutarunt, ac per *Uterum* & *Vulvam* converterunt; ut *Alexandrinos* amputem *Interpretes*, quorum, unguem quod etiam offendat, circumfertur: Πότερον οὐχ ὡς καὶ ἐγὼ ἐγενόμεν ἐν γαστρὶ, καὶ ἐκεῖνοι γεγόνασι; γεγόναμεν δὲ ἐν τῇ αὐτῇ κοιλίᾳ. Prius *illud* nostrum *Faciens*

me in ventre, ſpectare *conceptionis modum*, & *verbum* עשה referre ſe ad *patrem*, à quo, ut cauſa ſecunda & quidem efficiente, *primum* futuri corporis *ſtamen* in *Ovario* fuit conceptum, omnino cenſuerim. Poſterius *hocce* autem *Et obtexit nos in utero*, ejusdem *primi*, corporis futuri, *ſtaminis* ex *Ovario* jam prolapſi *ſecundinis involutionem*, adeoque *perfectam*, quam *partus* denique, *ſecundina* illa rupta *membrana*, excipit, in *Utero formationem* atque *exaſciationem* nobis recludere, ipſe *verborum* ordo, nativaque *eorumdem* indoles, manifeſto poterit eſſe indicio.

§. XX. *Utriusque* per ſane venuſti *hujus adſpectus* uſum abſolutum ex *Pſalm*. CXIX: 73. capias, indeque *harum explicationum* momentum creſcere, non obſcure ſenties. Dicitur: *Manus tuæ* עָשׂוּנִי *fecerunt me*, & יְכוֹנְנוּנִי. Quid hîc LXX *Seniorum*: ἔπλασάν με? Quid *Symmachi*: ἀπήρτισάν με? Quid *Campenſis*: *maximo artificio abſolverunt me?* Quid *Aliorum*: *pararunt me?* aut ſimilia? Inſigne *figuræ* delibarent decus. *Cl. Coccejus* duplici tentat via. Vide *eum* in *Comment. Serm. Hebr.* ibique ſub *Rad.* כון, *firmarunt*, vel *exaptaverunt me*, invenies. *Prius*, per *ſupereſſe fecerunt*, declaratur. De *poſteriori* autem *ipſe* 'Ο πάνυ dubitare videtur. Addit *Hoc tamen in priori fecerunt me*, *jam videtur contineri*. Acumen *Genebrandi*, τὸ עשה ad *animam*, ſed τὸ כונן ad *corpus*, refert. Acute profecto, ſed parum ſolide.

lide. *Epicrisis Geieriana* hæc eſt: *Si diſcrimen quæras inter præcedens* עשוני *atque hoc, dici fortè poſſet, per* Facere *elaborationem quaſi, per* כונן *autem elaboratæ rei* confirmationem *vel* ſolidam ſtabilitionem *indicari.* Haud equidem damnaverim. Nam aliter ſuos inſtituere calculos fas non eſt, ubi ſemel *confirmandi* & *ſolide ſtabiliendi* ſub τῷ יכוננו à כון tractam *poteſtatem* fueris amplexus. Sed quid *hoc* ad rem? Et quid ad *hoc* verbis opus? Si ad *locum Jobæum* non titubavi, firmiori ſtabit talo *ſenſus inſignis*, quem primaria *tegendi*, atque *involucro involvendi* Thematis noſtri כָּנַן idea, ſua ſubminiſtraverit ſponte, indeque, ſi veram *Verbi* indolem, & genuinum *Hebraiſmi* genium amamus, τὸ עשוני) ad *primorum* corporis futuri *ſtaminum* in Ventre *conceptionem*, τὸ יכוננוני vero ad *eorundem* in Utero *membrana ſecundina obvolutionem*, adeoque *omnem* fœtûs, in ſuo adhuc clauſtro deliteſcentis, *ulteriorem formationem* ducere, haud immerito, mecum adfirmaveris. At inquies, à כון in *Conjug. Pihhel* æque formari כּוֹנֵן, atque à כָּנַן· Unde ergo *nos ſcopum tetigiſſe* cognoſcetur? & quis *character* erit *Veritatis?* Plana, dilucida & ſponte fluens *Loci noſtri* explicatio, qui ex recepta opinione *commodam gradationem* ſortiri nequibat. Pingit quidem *ea* ſubtile aliquid, & forte nimis quoque diſcriminatum,

quod tamen, ut in *corpore fabricando humano* fundatiſſimum, ita & *indoli Linguæ Sanctæ* congruentiſſimum. *Utrumque* procul dubio hauſtum jam atque à *præſtantiſſimis ingeniis* poſteritati commendatum, modo *Arcanum* hocce à *Ruſpatoribus naturæ* in ſcenam productum curatius tenuiſſent, atque contentiori acie *Veterum Hebræorum Linguam*, non ex *Verſionibus*, non ex *Commentariis*, non ex *Lexicis*, ſed ex *ipſa illa in hunc uſque diem florentiſſima ejuſdem Linguæ Dialecto* præcipue ac jure merito illuſtrandam, inſpicere ſuſtinuiſſent.



ANIMAD-



ANIMADVERSIONES
PHILOLOGICO-CRITICÆ
IN
LEVITICUM.

CAP. VI. *Vers.* 2.

זאת תורת העלה הוא העלה על
מוקדה על-המזבח כל-הלילה
עד-הבקר ואש המזבח
תוקד בו

§. I.



Dubium, quid *Crisis Masoretharum* ס׳ זעירא, quæ *margini Codicum nostrorum* adlinitur, & in *Masora magna*, una cum *aliis* ejusdem farinæ *exemplis* producitur, inferat, exseratve. Per *eam* quidem indigitatum

fuiffe, *vocabulum* מוקדה, *literam* מ *Mem minufculam*, quæ communi minor fit forma, poffidere, nemini ignotum. *Quid* tamen *illa* proprie depinxerit, admodum anceps & obfcurum relinquitur. Judicium *Magni Buxtorfii* in *Tiberiade*, five *Comment. Maforethico* Cap. XV. p. 146. invenies. Siftit illud: *Forma minuta, in genere* rei *de qua agitur*, diminutionem, *quandoque etiam* contemptum *denotat.* Quam vellem, adplicaffet, *Vir Doctiffimus.* Hinc enim lubens perfpicerem, quomodo vel *rei diminutio*, qualis τῷ ג in גוש *Job.* VII: 5. τῷ ךְ in ולבכתה *Gen.* XXIII: 2. τῷ ס in בכופה *Nah.* I: 3. &c. &c. tribuitur, vel *rei contemptus*, qualis in τῷ ח τῷ חף *Job.* XXXIII: 9. in τῷ י τῷ תשי *Deut.* XXXII: 18. &c. &c. deprehenditur, in *noftro* מוקדה locum fuum tueri poffet. Vereor, ne *ego*, fi *huic* me *negotio* accingerem, fruftra effem, & fpeciofiora producerem, quam folidiora. Neque confentiret *Cl. Hillerus*, cui plane *aliud* fedet. *Ejus* mens in *Arcano Kethib & Keri* concepta, huc redit: *Iftud* מ *minufculum* exhibere nobis *Symbolum duplicis lectionis* מוֹקְדָה & מֹקָדָה ex *punctorum ejusdem quantitatis inter fe* ortæ *permutatione*, quam, *quædam Codicum prærogativa*, five *eam peperit fcriptionis ætas*, quod fcil. priùs in Ezræ Autographis fcriberetur, five *ejusdem Scriptionis in coævis Codicibus frequentia*, fuggefferit. Proinde

inde ergo, utramlibet quis, ex *hac* quidem *Hypothesi*, sequatur *Scriptionem*.

§. II. Ex *utraque* enim *geminus* plane atque *gemellus* redundet *sensus*, necesse est. Nescio tamen, an *eum*, idem *elegantis ingenii Vir*, acu tetigerit. Vertit: *in adustionem*. Id *eodem*, haud dubie, *adspectu*, quo istud *Junii* & *Tremellii* circumfertur, accipi vult. *Utrique* offerebant: *Hæc esto lex ipsius holocausti: ipsum offertur in adustionem*, quæ fit *in altari tota nocte usque mane, ubi ignis ipse altaris alendus est*. Incommode. Nec commodius autumem, quod *Coccejo* visum in *Lex.* הוא העולה על מוקדה על־המזבח *quod adoletur super PYRA in altari tota nocte. Dat opvaert op brandend hout.* Si enim מוקדה hîc *nihil aliud*, quam *Pyram*, rogi ignem, sive lignorum ad cremanda cadavera struem, ἀπὸ τῦ πῦρ derivatam, expinxerit, quid tum de *ejus verbo* הָעֹלָה fieret? Dices, indicatum *eo* fuisse, quod *sacrificium* illud omnino *super pyram*, sive *mediante igne*, in cœlum *adscendere*, & quidem cum *majore quodam flammæ impetu* ac *volumine fumi*, debuerit. Atqui illud *pyræ* ad *Orationis* seriem suavius aut implendam, aut *Locutionis integræ* הוא העלה על מוקדה על־המזבח succum & sanguinem diligentius exprimendum, hîc plane nihil facit. *Quo*, opinor, *ipso argumento* inductus *Clericus*, maluit: *Hoc sit in pyra, super altari, per totam noctem ad matutinum*

 us-

usque tempus, & ignis altaris in eo sit accensus. Sed quid videtur? Nonne anguis sub herba latentis simile est, τὸ העלה in propatulum non produxisse, aut per *Verbum substantivum* duntaxat enarrasse. Neque vero, si omnia recte procederent, *istud* בו *in eo*, quò referendum sit in *Constructione*, atque, an cum המזבח aut cum מוקדה conjungendum, satis perspicio. Frustraretur *se* & *Lectorem*, qui *prius* respiceret. Ad *posterius* pertinere *illud*, tam manifestum est, ut in controversiam vocari non possit, nisi ab eo, qui cum *Anaxagorâ* ambigat, an nix sit alba. Redde jam *nostrum* מוקדה vel *adustionem*, vel *pyram*. Per me quidem facias licet. Vereor tamen, ne utroque illo modo, carbonem ut ajunt, pro thesauro invenias atque producas. Thesaurum autem habebis, si pro *pyra*, pro *adustione* item, *Ustrinam* sive potius *Focum* à φώγω, quod est φωγνύω vel φώγνυμι, Thematis φάω idem cum πυρόω significantis, sic appellatum, substitueris. Huic viciniæ jam accesserant *Pagninus*, *Schindlerus*, *Stockius*, aliique veteris & novi ævi *Lexicographi*. Nec video *aliud quicquam* ibi locum habere posse. Accuratius interim dandum foret: *Locus perennis ardoris.* Nemo hoc *Jonathane* filio *Uzielidis* melius percepit. Laudatur *ejus* בית יקידתא *domus incendii*, sive potius *locus*, *ubi ignis semper ardet atque flagrat.*

§. III.

§. III. Hæc nempe est *verborum* יָקַד & יְקַד propria *idea*: *Prius* tantum *Lexica nostra* insidet. Sed *posterius* hinc quoque abesse non potest, neque debet; quum signatissimum *ejus* præ manibus exstet *vestigium*, per ס *Heemanticum* à principio positum, *inde*, si quid video, luculenter expressum. *Utrique* autem illorum, *unam* eandemque competere *notationem*, facile mihi accredas. Sistit ex *Græcorum* Καίειν, καίεσθαι, ἐκκαίεσθαι, & *Latinorum Ardere*, quod *Nonius*, per *ignescere*, interpretatur. Si quis enim omnes *Sacri Codicis* locos, quibus *hocce Thema*, cui haud vice simplici τὸ אשׁ *ignis* adhæréscit, insertatum observo, excutiat, ejusdemque potentiam ex *Orationis vi* exprimere aggrediatur, *ei* se protinus hæc *ardendi* subjiciet notio, summaque sponte ingeret; ita ut alterius, aut ex *allitteratione* cum קדח, aut fortuita *Soni* consensione cum נקד; aut ex male inde *Latinorum*, interposita *N* literula, *candeo*, *candesco*, deducto, circumspiciendæ cogitationem prorsus abjiciat, inque *hac* unice acquiescendum esse decernat. *Rabbini* ad unum omnes *idem* tenent, ac *Verbi nostri* naturam per בער declarant; quantumvis *hoc* plus valeat, quam *illud*, judice *Cl. Coccejo*. Et quod maxime movere debet, assensionemque omnium conciliare, est summus *ceterarum Orientis Dialectorum*, quæ ab *Hebræa* propaginem ducunt, consensus, adeoque amicissima *earum omnium* in huncce *significatum* Harmonia

N 5 pla-

plane admirabilis. *Chaldæi* & *Talmudici* præferunt *eum* ubique. Nec aliter *Syros* τῷ ܐܘܩܕ per *omnes Conjugationes* usos esse, tenues quædam reliquiæ declarant. *Samaritanis* simili usu ࠌࠅࠒࠃ & ࠀࠕࠌࠅࠒࠃ conteruntur. Ridentia inprimis sunt & nitida, quæ *Arabes* suppeditant. Longum esset omnia persequi. Præcipua libabo. Dicunt وقدت النار & توقدت النار *arsit ignis.* Profertur etiam ايقاد النار *cum ignis ardet & accenditur.* Locutio nec omittenda اوقد النار, item توقدها, nec non استوقدها *accendit ignem.* Conspirat النار الموقدة *ignis accensus.* Addo apud *Gjeubarium* & *Phiruzabadium*, duo illa *Linguæ columina*, enotari quoque مُوْقَد τυρεῖον, in quo planissume *nostri* מוֹקְדָה *simpliciorem formam* מוֹקֵד *Psal.* CII. 4. & *Es.* XXXIII : 14. unà cum *Syrorum* ܡܘܩܕܐ *lar* sive *focus*, te habere, *illamque* proprie, *locum* ac *sedem*, ubi *ignis continuo accenditur* & quasi *perennis ardet*, resonare, scias.

§. IV. Quid Litera מ *Mem Servilis* & non *Radicalis* hîc offerat, nemini ignotum. *Locum* scilicet,

ſcilicet, quando *nomini verbali* מקר ab *initio* jungitur, in *quo* ipſa *Verbi* ſui *actio* peragitur, Jubentiſſime offert. Numerus *exemplorum* ternarius, ex *quacunque genuina Linguæ Orientalis Dialecto* promendus, conficiet rem, omnique ulteriore abſolvet dubitatione. *Chaldæorum* hæc ſunt. מעצרה *Torcular*, locus ubi uvarum ſuccus *exprimitur*, à עצר *premere*. מגזא *Vadum*, locus *tranſitionis*, à גזז *trajicere*. מדנחא *Oriens*, locus ubi ſol *oritur*, ſuoſque radios primum *ſpargere* incipit, à דנח *oriri*. Ex *Syriaſmo* habe ܡܫܟܒܐ *Uterus*, locus, in quo fœtus ad maturitatem promovendus *recubat*, à ܫܟܒ *recumbere*. ܡܛܠܠ *Tugurium*, locus in quo *umbra* & recreatio captatur, à ܛܠܠ *obumbrare*. ܡܫܪܝܐ *Diverſorium*, locus in quo itinerantium turba, onere ſuo *exſolvitur*, vel ubi genio indulgetur, & animus *ſolvitur* curis, à ܫܪܐ *ſolvere*. *Æthiopiam* ſi intraveris, invenies መርዐይ *Paſcua*, locus ubi grex gramine *paſcitur* à ረዐየ *paſcere*. መኅባእ *Latebra*, locus ubi aliquis ſe *abſcondat*, à ኀበአ *abſcondere*. መአንመ *Textrinum*, locus ubi *textor* ſedet & *texit*, à አንመ *texere*. Nec *monumenta*, quæ ex pauper-

pertina *Samaritanorum* re versamus, nos heic destituunt. Illorum sunt ࠌࠍࠇ *Requies*, locus *quietis* & *refrigerii*, à ࠍࠅࠇ *quiescere*. ࠌࠊࠍ *Habitaculum*, locus in quo aliquid *præparatur* atque *disponitur*, à ࠌࠊࠍ *præparare*, *disponere*. ࠌࠉࠕࠅࠁࠉࠕ *Limes*, *terminus* terræ, locus ubi aliquis *sedeat*, *maneatque*, à ࠉࠕࠁ *sedere*. In *Arabiæ* pulchre adhuc florentibus pratis ingens *talium* demetenda seges. Capias impræsentiarum & quasi in transitu مسعل *Guttur*, locus ubi *tussitur*, à سعل *tussivit*. معطن *Aquatorium*, locus ubi pecora circum aquam in genua *procumbunt*, à عطن *potatus* atque *expletus in genua procumbit camelus*. مدجن *Focus*, locus ubi *excitatur fumus*, à دجن *fumavit*. Agmen claudant *Hebræi*, tibique donent מדבר *Desertum*, locus ubi greges pastum *ducuntur*, à דבר *ducere*; Item מכלה *Caula*, locus in quô greges *includuntur* & quasi incarcerantur, à כלא *claudere*; Nec non מדורה *Rogus*, *pyra*, locus ubi *rotunda* lignorum *congeries* exstruitur, à דור *rotundus fuit*, *circumivit*. Quibus & nunc velim adjicias, tanquam omni dubitationis fluctu exemtum, quod adhuc sub manibus sudat, *Vo-*

ta-

tabulum מוֹקְדָה ; cujus *formam simpliciorem* מוּקַד à *Themate* יָקַד evidentissime *ut* derivatam, *sic* primam & simplicissimam *ejusdem nominis* pronunciationem מְוֹקַד fuisse, quale in *Syria* etiamnum regnat atque *Arabia*, sensim deinde ac pedetentim, *Lit.* ו *Vaw* in *quietem* missa *mollioris* simul ac *suavioris soni* adhamandi ergo, cui *Gens Hebræa* valde erat dedita, in מוֹקַד vel invitante etiam ipsa *Radicis* indole in מוֹקַד transfundendam, quilibet agnoscere potest, quin debet.

§. V. Sed quid sibi vult ה à fine adjectum? *Genus fœmininum* exprimere *illud*, omnes clamant. Atqui *affixum* ו quod cum ב junctim comparet, atque ad *idem nostrum* מוקדה suum habet respectum, *Masculinum genus* exigere videtur. Quid ergo! Haud difficulter inveniet, qui in *Palæstra Linguarum Orientalium* nonnihil desudavit, interque fructus alios copiosissimos, *inde* etiam *hunc* secum abstulit, dari adhuc aliud ה *He*, à *Grammaticis* nostris *Paragogicum*, sive potius *Emphaticum* unanimiter vocitatum, quod *omni Vocabulo*, qua *Masculino*, qua *Fœminino*, graviore *tum* pronunciatione, *tum* emphasi augustiore induendo, à fine solet adjungi. Nihil hac *observatione* verius, *præsentique loco* aptius nihil, *quæque* majori *exemplorum* agmine, quàm quod *superius* jam in campum produximus, si

quis

quis *eam* oppugnare vellet, ſeſe lubens volenſque tutaretur. Sic foret *Locus perennis ardoris* ac *inextinguibilis maximus*, κατ' ἐξοχὴν à וקד *ardet*, *accenſus fuit ignis* מוקדה appellatus. *Nam ignis altaris* תוקד בו *accendetur in eo.* Ita redde *particulam* ו *Vaw*, atque *elegantiſſimam* תוקד inter & מוקדה deprehendes *Paronomaſiam*, *juſtiſſimamque* ſimul *Foci*, Hebraice מוקד enunciati, ope tum *Radicis*, tum *Formationis* caſte jam religioſeque à *nobis* erutæ *denominationis*, in ipſo *Moſis* contextu habebis *rationem*, quin *demonſtrationem*.

§. VI. Cave autem, *majorem aliquem*, in oppoſitione *aliorum* ibidem extantium vel circumjacentium, *Focum* nos cogitare putes, multo minus *verba præcedentia* הוא העלה על מוקדה על־המזבח וג"ו à *ſequentibus* ואש המזבח תוקד בו disjungere; atque, ducibus *iſtis Magiſtrorum Rabbinicorum Coryphæis*, quorum mentionem *Maimonides* ad פ' המיד *Cap.* II. *Miſch.* 4. injicit, *priora* quidem de מערכה גדולה *ſtrue lignorum magna*, qua ſacrificium juge comburebatur, explicare, *poſteriora* autem ad מערכה שנייה של קטורת *Lignorum ſtruem alteram*; unde *prunæ pro adolendo ſuffitu* ſumebantur, reſtringere. *Vetus* ſcilicet *Talmudicorum* exſtat *traditio*, quæ, *ignem ſacrum* ſuper *altari Moſaico*, *Salomonæo* &c.

&c. jugiter alendum, in *tres focos*, ſive potius in *tres lignorum ordines*, unum ad victimarum combuſtionem *Orientem* verſus, alterum ad adolendum ſuffitum verſus *Occidentem*, tertium ad alimentum ignis perpetui *Septentrionem* verſus, diviſum fuiſſe atque diſcriminatum, ſibi credi poſtulat. Audiamus *R. Obadiam de Bartenora*, qui ad *Cod.* תמיד ſive de *Sacrificio Jugi l. c.* ita inquit שלש מערכות היו שם בכל יום אחת מערכה גדול' ששורפי' עליה התמיד · והשנית מערכה פחותה ממנה והיא קרויה מערכ' של קטר' שנוטלי' ממנה גחלים במחתה לקטרת שמקטירים בבקר ובין הערבים : והשלישית אינה משמשת כלום · אלא לקיים האש · דכתיב והאש על המזבח תוקד בו זו מערכה שלשית של קיום האש *Tres lignorum ſtrues ſuper altari ſunt quotidie, quarum Prima eſt ſtrues magna, ſuper qua comburebant ſacrificium juge; Secunda eſt ſtrues minor, quæ ſtrues ſuffimenti vocatur, è qua in pala capiebant prunas pro mane & veſperi incendendo ſuffitu; Tertia vero duntaxat igni conſervando deſtinata eſt; quia ſcriptum eſt: Et ignis ſuper altari accendetur in eo. Hæc ſtrues tertia eſt ad ignem conſervandum.* Subſcribat, cui volupe. *Nobis* quidem hæc *digeſtio* dilutior eſt, & debilioribus ſuperſtructa fundamentis videtur, quam ut *ei* calculum

lum adjicere possimus; Utpote, *quam* ex argutiore quadam, *Legis* de *igne sacro jugiter alendo* ter repetitæ, atque tum *nostro* in *loco*, tum *duobus aliis* statim *subsequentibus commatibus* 5 & 6. comprehensæ, interpretatione effictam, & ad juniora tempora, melioris *defectu* lucis, propagatam, *illi*, qui judicio valent critico, *talesque repetitiones*, in *Constitutionibus Mosaicis* sæpiuscule *occurrentes*, quæ ad *summam* tantùm *harum Ceremoniarum religionem* pertinent, sagaciter observant, haud immeritò pronunciant. Quid multa? Ipsi ne quidem *Judæorum Doctores* in eo congruunt. Id ingenue profitetur *R. Salomo* ad *Lev.* VI: 5. שנחלקו רבותנו במנין המערכות שהיו שם *Rabbini nostri dissentiunt, in numero struum determinando, quæ ibi fuerunt*. Utique, rem sic sese habere, atque contentionis serram *R. Meir* inter & *R. Jose*, nec non *R. Juda*, ab ultima usque memoria, reciprocatam fuisse, ex *Cod. Misch.* יומא *Cap.* IV. §. 6. recognosces. Verba sunt בכל יום היו שם ארבע מערכות והיום חמש דברי רבי מאיר רבי יוסי או׳בכל יום שלש והיום ארבע רבי יהודה אומר בכל יום שתים והיום שלש *In omni die quatuor ibi erant lignorum ordines & hodie*, in die Expiationis, *quinque*; *verba R. Meir*. *R. Jose dicit*; *in omni die tres*, *& hodie quatuor*. *R. Jehuda* dicit; *in omni die duo*, *& hodie tres*. Vis ne horum omnium *usum*? En Tibi

Tibi *illum*, qui, *duas* tantum *posteriores*, tribus prioribus jam prælibatis, decernat, ex *Gemara* pulchre prodeuntem. Hæc ingens *Magistrorum*, severiori hic illic castiganda falce, luxuries, *quarto* מערכה איברים ופדרין שלא תאכלו מבערב *lignorum ordini*, *membra & omenta*, *quæ à Sacrificio Vespertino*, *usque ad sequentem auroram*, *non consumebantur*, imponens, hanc in specie *quintam* מערכה שמוסיפין בו ביום *struem*, Pontifici Maximo Sanctum Sanctorum *Expiationis die* intranti, ut *inde prunas ad suffiendum hauriret*, ex composito quasi attribuerat. Miror tamen, *plures* non *excogitatos* esse *ignes*; cum & alia adhuc multa, pro specialiori tum *Tabernaculi*, tum *Templi*, ministerio, *super altare Æneum*, fuerint peracta. Sed credo, *hoc* si fecissent *Rabbini*, suaque auctoritate *posteritati* commendassent, mox *Thrasonum* alius, *tantæ non fuisse Altare magnitudinis*, *ut plures* ibidem *veri foci adesse potuerint*, haud dubie reposuisset; quemadmodum &, ab *iis* factum deprehendimus, qui nec *numerum* eorundem *binarium*, nec *ternarium*, multo minus *quinarium*, eandem ob causam, admiserunt, *vel* saltim admitti posse, *aut* debere, sanxierunt. Tu ergo, si sapis, de *ea veritate*, dubitare noli, quæ omnium sua sponte sese insinuet animis. Hæc, quæ statuit, est, *unicum* tantum *ignem*,

על-המזבח *superioritati*, ut ita loquar, *Altaris* incubuiſſe; qui, cùm *victimæ*, earumque *ablegmina* eſſent cremanda, largior fuerit & luculentior, cùm vero *nulla res divina* peragenda, neceſſario duntaxat lignorum nutrimento inſtrueretur, ut ita *Sacer*, *perpetuus* ac *pervigil*, cæterisque adminiſtrandis uſibus *ſubſerviens*, vere exſtiterit. Adeo ut nemini mirum accidere poſſit, *unius*, *ejusdemque illius ignis focum*, per excellentiam & κατ' ἐξοχὴν, *noſtro* in *loco*, nomine מוקדה דז ſpeciali Dei mandato, per *Moſen*, haud immerito fuiſſe ſalutatum.

§. VII. Quorſum jam tandem *hæc omnia*, hactenus *vel* diſputata, *vel* à nobis, ampliori in luce, collocata? Nimis jejune *R. Joſua* & *R. Gamaliel*, ad generalem in זבחים מ' *Cap.* IX. §. 1. ſancitum Canonem מזבח מקדש את הראוי לו *Altare conſecrat id, quod ipſi eſt conveniens*, traxerunt, ejusdemque veritatem, diverſo nonnihil licet adſpectu, *inde* probare ſategerint.. Locum inſpicienti occurrit רבי יהושע אומר כל הראוי לאישם אם עלה לא ירד שנאמר היא העולה על מוקדה על המזבח מה עולה שהיא ראויה לאשם אם עלתה לא תרד אף כל דבר שהוא ראוי לאשים אם עלה לא ירד רבן גמאליאל אומר כל הראוי למזבח אם עלה

לא

לא ירד שנאמר היא העולה על מוקדה על המזבח מה עולה שהיא ראויה למזבח אם עלתה לא תרד אף כל דבר שהוא ראוי למזבח אם עלה לא ירד *Rabbi Josua dicit: quicquid conveniens est ignitis*, ut comburatur, *si ascenderit non descendat; quia lege cautum* היא העולה על מוקדה על המזבח. *Quomodo se habet verò Holocaustum, quod convenit ignitis? Si ascenderit, non descendat. Ergo quicquid etiam ignitis est conveniens, si ascendit, non descendat. Rabban Gamaliel inquit: quicquid convenies est altari*, ut offeratur, *si ascendit, non descendat; quià dicitur* היא העולה על מוקדה על המזבח *Quomodo se habet Holocaustum, quod altari convenit! Si ascenderit, non descendat. Ergo quicquid convenit altari, si ascendit, non descendat.* Nimis quoque laxe, *Interpretum illi*, acceperunt *Legis verba*, qui, de *omni* omnino *Holocaustorum genere*, sermonem in *iis* institutum esse, sibi, aliisque, persuadere conantur. Strictius enim multo, multoque commodius, ad *unicam* tantum *Holocautomatum speciem*, referri posse, quin debere, prorsus videtur. Nec *aliorum Auctoritate* hic destituor. *Cl. Clericum* nominasse suffecerit, qui, vestigiis haud dubie *Henrici Ainsworthi* insistens, ita commentatur: *Quamvis nihil addatur, videtur prorsus intelligi unum genus holocautomatum; id, nempe, quod*

quod vesperi mactari & immolari solebat quotidie. Nam alia holocautomata, ante hoc oblata, absumta priùs esse debuerunt, quàm quotidianum altari imponeretur. Scilicet, *duplex* quotidie *Sacrificium*, titulo ac nomine totius Populi Israelitici, offerebatur; cujus alterum *mane*, aurora illucescente, alterum *vesperi*, sole ad occasum inclinante, כליל *totum* scandere altare, ibique *flammis perpetui ignis* se tradere, in *Antiquitatibus Hebraicis* vel leviter tincto, ignotum esse non potest. Atque ad *posterius* illud, *Phrasin nostram* היא העלה על־מוקדה על המזבח in specie spectare, seseque sua sponte, per statim subsequens כל הלילה עד בקר restringere, quemquam in dubium vocaturum, non est, quod subverear.

§. VIII. Vide autem, ne *hoc* ita capias, quasi necesse fuerit, *totam noctem consumi*, dum *adoletur*, *agnus vespertinus*. Neque subsistas velim in *eo*, quod tibi *contra* offert: *Permitti dumtaxat*, Deo monente, *satis esse modò id* 'Ολοκάυτωμα *ante lucem sit absumtum*, ut locus, *Holocautomati matutino*, esset paratus. *Magistrorum* enim nonnulli, adhuc *subtilius* quid, excuderunt. Horum meminit *Bartenoriensis*, qui ad *hocce Cod.* זבחים *Cap.* IX. *Misch.* 6. אברים שפקעו מעל גבי המזבח קודם לחצות יחזיר וכ״ו לאחר חצות לא יחזיר וכ״ו *Membra, quæ decidunt de altari ante dimidium*

midium noctis, *restituat* aliquis &c. at *post dimidium* noctis, *non restituat* &c. sic philosophatur ולפיכן כקרא דכתיב כל חלילה עד הבקר ·ממשמע שנאמר כל הלילה· אינו יודע שעד הבקר· אלא תן בקר לבקרו . של לילה· שאין צריכין להיות עוד על המוקד · ואינו בקר נוסף על בקרו של לילה שאין צריכין להיות עוד של המוקד · זה חצות· דבקר של לילה הוא עמוד השחר· Quod ex *Versione Surenbusiana*, hunc in modum, *Latine* prodiit: *Hoc colligitur è loco Lev*. 6: 2. כל הלילה עד הבקר *ubi per* totam noctem *intelligere non nemo potuisset spacium temporis esse usque ad mane; cum tamen sensus sit, unum tempus matutinum alteri noctis addendum esse; nam non requiritur, ut membra tam diu foco imposita sint; Sed quid sibi velit id quod dicitur* תן בקר לבקרו של לילה adde tempus matutinum alteri noctis, quo non diutius foco imponi debent! *resp. hæc media nox est, quia matutinum noctis tempus est columna auroræ*. Minime tamen omnium *hic* acquiescendum. Nam omnino videtur innui, *totam noctem usque ad mane sibi soli exigere Sacrificium juge Vespertinum*, adeoque *nullum aliud*, sive sit *publicum*, sive *privatum*, *integro illo temporis spacio, esse offerendum*; sed exspectandum, donec *juge Matutinum*, altare iterum *inittasset* æneum, sicque

 facul-

*facultat*em quasi *concessisset*, ut *illa*, quæ forte fortuna, instante die, *sacrificanda* erant, opportunius ac juste adducerentur. Eleganter *Maimonides* in ה׳ תמידין ומוספין *Cap.* I, §. 3 אסור להקריב קרבן כלל קודם תמיד של שחר ולא שוחטין קרבן אחר תמיד של בין הערבים׃

Interdictum est offerre Sacrificium ullum ante agnum juge matutinum; neque fas est mactare Sacrificium post agnum juge vespertinum.

§. IX. Posterius *enunciatum* respicit, quod Deus, *nulla* sibi *Sacra* fieri, *tempore nocturno*, voluerit. *Maimonides* in ה׳ מעשה הקרבנות Cap. IV. §. 1. כל הקרבנות אין מקריבין אותן אלא ביום שנאמר ביום צויתו את בני ישראל להקריב את קרבניהם ביום ולא בלילה׃ לפיכך אין שוחטין זבחים אלא ביום *Omnia Sacrificia non offerebant nisi de die. Dictum enim est: In die mandavit filiis Israel, ut offerant Sacrificia sua de die & non de nocte. Ideoque nec mactabant victimas, nisi de die.* Prius autem *illud*, plus in recessu habet, quam prima fronte comparet. In מ׳ זבחים *Cap.* X. §. 1. legitur כל התדיר מחבירו קודם את חבירו התמידים קודמין למוספין וכ״ו שנ׳ מלבד עולת הבוקר

הבוקר אשר לעולת התמיד תעשו את אלה

Quicquid frequentius est altero, id præcedit alterum illud. Jugia Sacrificia præcedunt accessoria, &c. *quia dictum; præter holocaustum matutinum, quod est in holocaustum juge, faciatis ista.* Ubi *R. Obadias* inter alia adnotat דכתיב מלבד עולת הבקר אשר לעולת התמיד מכדי כתיב מלבד עולת הבקר העשויה כבר משמע מיכה שמעינן דתמידין קודמין למוספין וכו׳ *Quia scriptum est* מלבד עולת הבקר אשר לעולת התמיד Num. XXVIII: 23. *Jam vero e verbis* מלבד עלת הבקר *colligitur, holocaustum jam paratum esse, & Sacrificia jugia præcedere addititia &c.* Ratio non est contemnenda. Potior tamen, cumque *primo* suo *principio* conjunctior efflorescat, si naturam *duorum* horum *Matutinorum* & *Vespertinorum agnorum*, qui jugiter nomine ac titulo *Holocausti*, pro universo populo, immolabantur, atque *Summo Numini* adinstar Regis augustissimi, celsissimum *Arcæ* thronum, inter *alas Cherubinorum* occupanti, *gratissimum* quasi *in cibum* super altari, *mensa sua*, præparabantur, accuratius paulo consideres, necesse est. Tradit ea, plane *inconveniens* esse, prius ad *mensam propriam*, unde בעל הזבח *Dominus Sacrificii*, una cum Deo, *partem* accipiebat, *ac-*

O 4 *cede-*

cedere, quam ad *mensam solius Dei, cibo à cunctis Israelitis instructam*; adeoque etiam nec par esse, *sublata* vesperi *mensa Dei*, propriam suam iterum renovare velle. Nam ex sententia *R. Simeonis* אין מחנכים מזבח העלה אלא בתמיד של שחר *non initiabant altare Holocausticum, nisi per Sacrificium juge matutinum*, in *Cod.* מנחות *Cap.* IV. *Misch.* 4. Atque hinc prognatam esse, *Vetustissimorum* quorundam *Judæorum*, consuetudinem, *quâ* nihil plane, ante *oblatum sacrificium juge matutinum*, gustare vellent, existimem.

§. X. Huc percommode *Chaldæus* illud *Eccles.* X. ℣. 16. שריך בבקר יאכלו & ℣. 17. שריך בעת יאכלו applicat, *utrumque* non sine acumine *παραφράζων* רברבנך עד דלא יקרבון תמידא דצפרא יאכלון לחמא *Principes tui, antequam offerunt Sacrificium juge matutinum, comedunt panem*, רברבנך בתר דמקרבין תמידא אכלין לחמא בזמן ארבע שעין מן עמל ידיהון *Principes tui, postquam obtulerunt Sacrificium juge, comedunt panem in tempore, quatuor horas post labores manuum suarum.* An *Petrus Act.* II. 15. quum Fratres Apostoli, *vino pleni* esse, arguerentur, inquiens Ου γὰρ, ὡς ὑμεῖς ὑπολαμβάνετε, οὗτοι μεθύουσιν· Ἔστι γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας, *idem*.

idem, & quomodo, ob oculos habuerit, *id* judicio & induſtriæ cujusque relictum atque commendatum eſto. Mihi ſaltem, *hoc* ſi ſtatuatur, atque tanquam *fidum lumen* aſſumatur, haud diſplicuerit. In primis præ *eo* ſpernerem, quod *Magno* olim *Eraſmo* excidebat. *Tempus* ſcribit *erat Pentecoſtes, quo Sol exoritur ante quintam, ni fallor. Quam igitur* tertiam *vocat Petrus, nobis eſſet octava. At qui prodigium non ſit apud nationes quasdam hominem eſſe temulentum horâ octavâ. Verum in illis regionibus, juxta Pauli dictum,* qui erant ebrii, nocte erant ebrii.

CAP. VIII. *Vers.* 31.

ויאמר משה אל אהרן ואל־בניו בשלו
את־הבשר וג"ו כאשר צויתי לאמר
אהרן ובניו יאכלהו

§. I.

Cuncta ex facili hîc & limpido fluunt, adeoque quod ad ſenſum *Præcepti* hujus *Moſaici* rite conſtituendum, ac liquide percipiendum, nulla *mihi* difficultas. Sed quid ſibi velit ipſa illa *provocatio* כַּאֲשֶׁר צִוֵּיתִי וג'ו *quemadmodum præcepi* &c. non adeo liquet, & *ubi* locorum præcipue, *Aharonem*, ejusque *filios* illud *juſſiſſe*

 lega-

legatur *Moses*, maxime obscurum atque anceps relinquitur. *Talis* profecto *locus* fugit non solum LXX *Seniores*, qui, *literulam finalem Jod*, in τῷ צויתי tanquam *affixum* 1. *Perf. sing. comm.* forte adspicientes, dederunt ὃν τρόπον συντέταχταί μοι, verum etiam *Vulgato* plane latuit *Interpreti*. Hujus est, *Ellipsi*, quam heîc deprehendebat non adeo *duram*, sic expressâ: *Sicut præcepit mihi Dominus*. Utrumque approbat *Joannes Clericus*, existimans, tum τῶς ὁ, tum *Vulgatum* צִוֻּתִי in *Puhal* legisse; quod & *fortasse aptius*, quam commune illud *quemadmodum præcepi*, pronunciat, hac *Crisi* adjectâ: *Neque enim antea Aharonem hoc jussisse legitur Moses*. Prudentius tamen, meo quidem judicio, siluisset *Vir Clarissimus*. Nam ex *Alexandrinorum Interpretum Versione*, elicere velle, olim fuisse lectum, pronunciatumque צִוֻּתִי & non צִוֵּתִי esset *tortorem* agere *Verborum*, quæ *Explanatoris* indigent, & nimis violentam *Mosi*, quin *sibimet ipsi*, injicere manum. An quicquid nobis *minus* intellectum, continuo *male* lectum? Minime gentium. Suspicor quoque, *Virum Doctum*, annexam illam κρίσιν, lubentem *missurum* fuisse, vel saltem, non tam mordicus *eidem* inhæsurum, si in promptu habuisset *Exod*. XXIX: 32. Quod non succurrisse *Ei*, aut ex *Lectissimo Ainswortbiano Commentario* ne adfulsisse quidem, mirum.

§. II.

§. II. Tu ergo, pertentes velim, extantia *ibidem* verba ואכל אהרן ובניו את בשר האיל ואת הלחם אשר בסל וכ"ו atque *Mosen*, cum *illa* scriberet, *huc* allusisse, & oculos quasi convertisse, omnino mecum credideris. Neque, opinor, est, ut *discrimen Personarum*, quod, *Deum* illud *Exodi*, *Mosen* vero *Levitici* hocce, *Aharoni*, ejusque *filiis*, in mandatis dedisse, suggerit, quemquem offendat. *Mosen* enim, titulo ac nomine *Dei*, ipsius *Legislatoris*, cujus *præceptum* erat, verba facere, *Legisque*, divinitus jam *datæ*, memoriam refricare, pulchra *Eruditissimi Ainsworthi* est observatio. Equidem *nitidæ* huic *observationi* omnia defero; ac præsertim præ ea sperno, *quod* ab aliquo jam tempore *mentem* traxit, nec tamen ad *se* in solidum pertraxit. *Id* repræsentabat mihi, *Mosen*, fidelissimum Dei servum, *hocce*, quod loquor, *mandatum*, ut antea *reverenter* è cœlesti *acceptum* sanctuario, ita & *Aharoni*, ejusque *filiis*, dubio procul *oretenus* jam *injunctum*, heîc, *de novo*, loci, ipsâ invitante materiâ, iterare, ejusdemque *summam*, breviter *calamo*, & *ore* fortean, memoriæ iterum indere potuisse, adeoque in *hæc verba* כאשר צויתי לאמר אהרן וג'ו *quemadmodum præcepi, dicendo: Aharon* &c. haud immerito erumpere debuisse. Nihil *paradoxi* quidem ac *insolentis* proferret, qui *istis*, quæ monstro, *vestigiis* insisteret. Verum tamen ut fatear, *talia*, quùm sine idoneo ple-

pertina *Samaritanorum* re versamus, nos heic destituunt. Illorum sunt ࠌࠒࠓ *Requies*, locus *quietis* & *refrigerii*, à ࠒࠓࠓ *quiescere*. ࠌࠊࠋ *Habitaculum*, locus in quo aliquid *præparatur* atque *disponitur*, à ࠊࠋ *præparare*, *disponere*. ࠌࠉࠕࠅࠁࠉࠕ *Limes*, *terminus* terræ, locus ubi aliquis *sedeat*, *maneatque*, à ࠉࠕࠁ *sedere*. In *Arabiæ* pulchre adhuc florentibus pratis ingens *talium* demetenda seges. Capias impræsentiarum & quasi in transitu مسعل *Guttur*, locus ubi *tussitur*, à سعل *tussivit*. معطن *Aquatorium*, locus ubi pecora circum aquam in genua *procumbunt*, à عطن *potatus* atque *expletus in genua procumbit camelus*. مدجن *Focus*, locus ubi *excitatur fumus*, à دجن *fumavit*. Agmen claudant *Hebræi*, tibique donent מדבר *Desertum*, locus ubi greges pastum *ducuntur*, à דבר *ducere*; Item מכלה *Caula*, locus in quô greges *includuntur* & quasi incarcerantur, à כלא *claudere*; Nec non מדורה *Rogus*, *pyra*, locus ubi *rotunda* lignorum *congeries* exstruitur, à דור *rotundus fuit*, *circumivit*. Quibus & nunc velim adjicias, tanquam omni dubitationis fluctu exemtum, quod adhuc sub manibus sudat, *Vota*-

cabulum מוֹקְדָה ; cujus *formam simpliciorem* מוֹקֵד à *Themate* יָקַד evidentissime *ut* derivatam, *sic* primam & simplicissimam *ejusdem nominis* pronunciationem מְיֻקָּד fuisse, quale in *Syria* etiamnum regnat atque *Arabia*, sensim deinde ac pedetentim, *Lit.* ו *Vaw* in *quietem* missa *mollioris* simul ac *suavioris soni* adhamandi ergo, cui *Gens Hebræa* valde erat dedita, in מוֹקֵד vel invitante etiam ipsa *Radicis* indole in מוֹקֵד transfundendam, quilibet agnoscere potest, quin debet.

§. V. Sed quid sibi vult ה à fine adjectum? *Genus fœmininum* exprimere *illud*, omnes clamant. Atqui *affixum* ו quod cum ב junctim comparet, atque ad *idem nostrum* מוקדה suum habet respectum, *Masculinum genus* exigere videtur. Quid ergo! Haud difficulter inveniet, qui in *Palæstra Linguarum Orientalium* nonnihil desudavit, interque fructus alios copiosissimos, *inde* etiam *hunc* secum abstulit, dari adhuc aliud ה *He*, à *Grammaticis* nostris *Paragogicum*, sive potius *Emphaticum* unanimiter vocitatum, quod *omni Vocabulo*, qua *Masculino*, qua *Fœminino*, graviore *tum* pronunciatione, *tum* emphasi augustiore induendo, à fine solet adjungi. Nihil hac *observatione* verius, *præsentique loco* aptius nihil, *quæque* majori *exemplorum* agmine, quàm quod *superius* jam in campum produximus, si quis

quis *eam* oppugnare vellet, ſeſe lubens volenſque tutaretur. Sic foret *Locus perennis ardoris* ac *inextinguibilis maximus*, κατ' ἐξοχὴν à וקד *ardet*, *accenſus fuit ignis* מוקדה appellatus. *Nam ignis altaris* תוקד בו *accendetur in eo.* Ita redde *particulam* ו *Vaw*, atque *elegantiſſimam* תוקד inter & מוקדה deprehendes *Paronomaſiam*, *juſtiſſimamque* ſimul *Foci*, Hebraice מוקד enunciati, ope tum *Radicis*, tum *Formationis* caſte jam religioſeque à *nobis* erutæ *denominationis*, in ipſo *Moſis* contextu habebis *rationem*, quin *demonſtrationem*.

§. VI. Cave autem, *majorem aliquem*, in oppoſitione *aliorum* ibidem extantium vel circumjacentium, *Focum* nos cogitare putes, multo minus *verba præcedentia* הוא העלה על מוקדה על־המזבח וג׳ à *ſequentibus* ואש המזבח תוקד בו disjungere; atque, ducibus *iſtis Magiſtrorum Rabbinicorum Coryphæis*, quorum mentionem *Maimonides* ad מ׳ תמיד *Cap.* II. *Miſch.* 4. injicit, *priora* quidem de מערכה גדולה *ſtrue lignorum magna*, qua ſacrificium juge comburebatur, explicare, *poſteriora* autem ad מערכה שנייה של קטורת *Lignorum ſtruem alteram*, unde *prunæ pro adolendo ſuffitu* ſumebantur, reſtringere. *Vetus* ſcilicet *Talmudicorum* exſtat *traditio*, quæ, *ignem ſacrum* ſuper *altari Moſaico*, *Salomonæo*

&c.

&c. jugiter alendum, in *tres focos*, ſive potius in *tres lignorum ordines*, unum ad victimarum combuſtionem *Orientem* verſus, alterum ad adolendum ſuffitum verſus *Occidentem*, tertium ad alimentum ignis perpetui *Septentrionem* verſus, diviſum fuiſſe atque diſcriminatum, ſibi credi poſtulat. Audiamus *R. Obadiam de Bartenora*, qui ad *Cod.* תמיד ſive de *Sacrificio Jugi l. c.* ita inquit שלש מערכות היו שם בכל יום אחת מערכה גדול' ששורפי' עליה התמיד · והשנית מערכה פחותה ממנה והיא קרויה מערכ' של קטר' שנוטלי' ממנה גחלים במחתה לקטרת שמקטירים בבקר ובין הערבים : והשלישית אינה משמשת כלום · אלא לקיים האש · דכתיב והאש על המזבח תוקד בו זו מערכה שלשית של קיום האש *Tres lignorum ſtrues ſuper altari ſunt quotidie, quarum Prima eſt ſtrues magna, ſuper qua comburebant ſacrificium juge; Secunda eſt ſtrues minor, quæ ſtrues ſuffimenti vocatur, è qua in pala capiebant prunas pro mane & veſperi incendendo ſuffitu; Tertia vero duntaxat igni conſervando deſtinata eſt; quia ſcriptum eſt: Et ignis ſuper altari accendetur in eo. Hæc ſtrues tertia eſt ad ignem conſervandum.* Subſcribat, cui volupe. *Nobis* quidem hæc *digeſtio* dilutior eſt, & debilioribus ſuperſtructa fundamentis videtur, quam ut *ei* calculum

lum adjicere possimus; Utpote, *quam* ex argutiore quadam, *Legis* de *igne sacro jugiter alendo* ter repetitæ, atque tum *nostro* in *loco*, tum *duobus aliis* statim *subsequentibus commatibus* 5 & 6. comprehensæ, interpretatione effictam, & ad juniora tempora, melioris *defectu* lucis, propagatam, *illi*, qui judicio valent critico, *talesque repetitiones*, in *Constitutionibus Mosaicis* sæpiuscule *occurrentes*, quæ ad *summam* tantùm *harum Ceremoniarum religionem* pertinent; sagaciter observant, haud immeritò pronunciant. Quid multa? Ipsi ne quidem *Judæorum Doctores* in eo congruunt. Id ingenue profitetur *R. Salomo* ad *Lev.* VI: 5. שנחלקו רבותינו במנין המערכות שהיו שם *Rabbini nostri dissentiunt, in numero struum* determinando, *quæ ibi fuerunt*. Utique, rem sic sese habere, atque contentionis serram *R. Meir* inter & *R. Jose*, nec non *R. Juda*, ab ultima usque memoria, reciprocatam fuisse, ex *Cod. Misch.* יומא *Cap.* IV. §. 6. recognosces. Verba sunt בכל יום היו שם ארבע מערכות והיום חמש דברי רבי מאיר רבי יוסי או׳ בכל יום שלש והיום ארבע רבי יהודה אומר בכל יום שתים והיום שלש *In omni die quatuor ibi erant lignorum ordines & hodie*, in die Expiationis, *quinque*; *verba R. Meir. R. Jose dicit*; *in omni die tres*, *& hodie quatuor. R. Jehuda* dicit; *in omni die duo*, *& hodie tres.* Vis ne horum omnium *usum*? En

Tibi

Tibi *illum*, qui, *duas* tantum *posteriores*, tribus prioribus jam prælibatis, decernat, ex *Gemara* pulchre prodeuntem. Hæc ingens *Magistrorum*, severiori hic illic castiganda falce, luxuries, *quarto* מערכה איברים ופדרין שלא תאכלו מבערב *lignorum ordini*, *membra & omenta*, *quæ à Sacrificio Vespertino*, *usque ad sequentem auroram*, *non consumebantur*; imponens, hanc in specie *quintam* מערכה שמוסיפין בו ביום *struem*, Pontifici Maximo Sanctum Sanctorum *Expiationis die* intranti, ut *indè prunas ad suffiendum hauriret*, ex composito quasi attribuerat. Miror tamen, *plures* non *excogitatos* esse *ignes*; cum & alia adhuc multa, pro specialiori tum *Tabernaculi*, tum *Templi*, ministerio, *super altare Æneum*, fuerint peracta. Sed credo, *hoc* si fecissent *Rabbini*, suaque auctoritate *posteritati* commendassent, mox *Thrasonum* alius, *tantæ non fuisse Altare magnitudinis*, *ut plures* ibidem *veri foci adesse potuerint*, haud dubie reposuisset; quemadmodum &, ab *iis* factum deprehendimus, qui nec *numerum* eorundem *binarium*, nec *ternarium*, multo minus *quinarium*, eandem ob causam, admiserunt, *vel* saltim admitti posse, *aut* debere, sanxierunt. Tu ergo, si sapis, de *ea veritate*, dubitare noli, quæ omnium sua sponte sese insinuet animis. Hæc, quæ statuit, est, *unicum* tantum *ignem*

על-המזבח *superioritati*, ut ita loquar, *Altaris* incubuisse; qui, cùm *victimæ*, earumque *ablegmina* essent cremanda, largior fuerit & luculentior, cùm vero *nulla res divina* peragenda, necessario duntaxat lignorum nutrimento instrueretur, ut ita *Sacer*, *perpetuus* ac *pervigil*, cæterisque administrandis usibus *subserviens*, vere exstiterit. Adeo ut nemini mirum accidere possit, *unius*, *ejusdemque illius ignis focum*, per excellentiam & κατ' ἐξοχὴν, *nostro* in *loco*, nomine מוקדה *sc.* speciali Dei mandato, per *Mosen*, haud immerito fuisse salutatum.

§. VII. Quorsum jam tandem *hæc omnia*, hactenus *vel* disputata, *vel* à nobis, ampliori in luce, collocata? Nimis jejune *R. Josua* & *R. Gamaliel*, ad generalem in זבחים 'מ *Cap.* IX. §. 1. sancitum Canonem מזבח מקדש את הראוי לו *Altare consecrat id, quod ipsi est conveniens*, traxerunt, ejusdemque veritatem, diverso nonnihil licet adspectu, *inde* probare fategerint. Locum inspicienti occurrit רבי יהושע אומר כל הראוי לאשים אם עלה לא ירד שנאמר היא העולה על מוקדה על המזבח מה עולה שהיא ראויה לאשים אם עלתה לא תרד אף כל דבר שהוא ראוי לאשים אם עלה לא ירד רבן גמאליאל אומר כל הראוי למזבח אם עלה לא

לא ירד שנאמר היא העולה על מוקדה על המזבח מה עולה שהיא ראויה למזבח אם עלתה לא תרד אף כל דבר שהוא ראוי למזבח אם עלה לא ירד *Rabbi Josua dicit: quicquid conveniens est ignitis*, ut comburatur, *si ascenderit non descendat; quia lege cautum* היא העולה על מוקדה על המזבח. *Quomodo se habet verò Holocaustum, quod convenit ignitis? Si ascenderit, non descendat. Ergo quicquid etiam ignitis est conveniens, si ascendit, non descendat. Rabban Gamaliel inquit: quicquid convenies est altari*, ut offeratur, *si ascendit, non descendat; quia dicitur* היא העולה על מוקדה על המזבח *Quomodo se habet Holocaustum, quod altari convenit? Si ascenderit, non descendat. Ergo quicquid convenit altari, si ascendit, non descendat.* Nimis quoque laxe, *Interpretum illi*, acceperunt *Legis verba*, qui, de *omni* omnino *Holocaustorum genere*, sermonem in *iis* institutum esse, sibi, aliisque, persuadere conantur. Strictius enim multo, multoque commodius, ad *unicam* tantum *Holocautomatum speciem*, referri posse, quin debere, prorsus videtur. Nec *aliorum Auctoritate* hic destituor. *Cl. Clericum* nominasse suffecerit, qui, vestigiis haud dubie *Henrici Ainsworthi* insistens, ita commentatur: *Quamvis nihil addatur, videtur prorsus intelligi unum genus holocautomatum; id, nempe,*

quod vesperi mactari & immolari solebat quotidie. Nam alia holocautomata, ante hoc oblata, absumta priùs esse debuerunt, quàm quotidianum altari imponeretur. Scilicet, *duplex* quotidie *Sacrificium*, titulo ac nomine totius Populi Israelitici, offerebatur; cujus alterum *mane*, aurora illucescente, alterum *vesperi*, sole ad occasum inclinante, כליל *totum* scandere altare, ibique *flammis perpetui ignis* se tradere, in *Antiquitatibus Hebraicis* vel leviter tincto, ignotum esse non potest. Atque ad *posterius* illud, *Phrasin nostram* היא העלה על־מוקדה על המזבח in specie spectare, seseque sua sponte, per statim subsequens כל הלילה עד בקר restringere, quemquam in dubium vocaturum, non est, quod subverear.

§. VIII. Vide autem, ne *hoc* ita capias, quasi necesse fuerit, *totam noctem consumi*, dum *adoletur*, *agnus vespertinus*. Neque subsistas velim in *eo*, quod tibi *contra* offert: *Permitti dumtaxat*, Deo monente, *satis esse modò id* Ὁλοκάυτωμα *ante lucem sit absumtum*, ut locus, *Holocautomati matutino*, esset paratus. *Magistrorum* enim nonnulli, adhuc *subtilius* quid, excuderunt. Horum meminit *Bartenoriensis*, qui ad *hocce Cod.* זבחים *Cap.* IX. *Misch.* 6. אברים שפקעו מעל גבי המזבח קודם לחצות יחזיר וכ״ו לאחר חצות לא יחזיר וכ״ו *Membra, quæ decidunt de altari ante dimidium*

midium noctis, *restituat* aliquis *&c.* at *post dimidium* noctis, *non restituat &c.* sic philosophatur ולפיכן מקרא דכתיב כל הלילה עד הבקר ממשמע שנאמר כל הלילה אינו יודע שעד הבקר אלא תן בקר לבקרו של לילה שאין צריכין להיות עוד על המוקד ואינו בקר נוסף על בקרו של לילה שאין צריכין להיות עוד של המוקד זה חצות דבקר של לילה הוא עמוד השחר Quod ex *Versione Surenbusiana*, hunc in modum, *Latine* prodiit: *Hoc colligitur è loco Lev.* 6: 2. כל הלילה עד הבקר *ubi per* totam noctem *intelligere non nemo potuisset spacium temporis esse usque ad mane; cum tamen sensus sit, unum tempus matutinum alteri noctis addendum esse; nam non requiritur, ut membra tam diu foco imposita sint; Sed quid sibi velit id quod dicitur* תן בקר לבקרו של לילה adde tempus matutinum alteri noctis, quo non diutius foco imponi debent! *resp. hæc media nox est, quia matutinum noctis tempus est columna auroræ.* Minime tamen omnium *hic* acquiescendum. Nam omnino videtur innui, *totam noctem usque ad mane sibi soli exigere Sacrificium juge Vespertinum*, adeoque *nullum aliud*, sive sit *publicum*, sive *privatum*, *integro illo temporis spacio, esse offerendum*; sed exspectandum, donec *juge Matutinum*, altare iterum *initiasset* æneum, sicque

facultatem quasi *concessisset*, ut *illa*, quæ forte fortuna, instante die, *sacrificanda* erant, opportunius ac juste adducerentur. Eleganter *Maimonides* in ה׳ תמידין ומוספין *Cap.* I, §. 3. אסור להקריב קרבן כלל קודם תמיד של שחר ולא שוחטין קרבן אחד תמיד של בין הערבים· *Interdictum est offerre Sacrificium ullum ante agnum juge matutinum; neque fas est mactare Sacrificium post agnum juge vespertinum.*

§. IX. Posterius *enunciatum* respicit, quod Deus, *nulla* sibi *Sacra* fieri, *tempore nocturno*, voluerit. *Maimonides* in ה׳ מעשה הקרבנות Cap. IV. §. 1. כל הקרבנות אין מקריבין אותן אלא ביום שנאמר ביום צויתי את בני ישראל להקריב את קרבניהם ביום ולא בלילה· לפיכך אין שוחטין זבחים אלא ביום *Omnia Sacrificia non offerebant nisi de die. Dictum enim est: In die mandavit filiis Israel, ut offerant Sacrificia sua de die & non de nocte. Ideoque nec mactabant victimas, nisi de die.* Prius autem *illud*, plus in recessu habet, quam prima fronte comparet. In ה׳ זבחים *Cap.* X. §. 1. legitur כל התדיר מחבירו קודם את חבירו התמידים קודמין למוספין וכ״ו שנ׳ מלבד עולת הבוקר

הבוקר אשר לעולת התמיד תעשן את אלה *Quicquid frequentius est altero, id præcedit alterum illud. Jugia Sacrificia præcedunt accessoria,* &c. *quia dictum; præter holocaustum matutinum, quod est in holocaustum juge, faciatis ista.* Ubi *R. Obadias* inter alia adnotat דכתיב מלבד עולת הבקר אשר לעולת התמיד מכדי כתיב מלבד עולת הבקר העשויה כבר משמע מיכה שמעינן דתמידין קודמין למוספין וכ'ו *Quia scriptum est* מלבד עולת הבקר אשר לעולת התמיד Num. XXVIII: 23. *Jam vero e verbis* מלבד עלת הבקר *colligitur, holocaustum jam paratum esse, & Sacrificia jugia præcedere addititia &c.* Ratio non est contemnenda. Potior tamen, cumque *primo* suo *principio* conjunctior efflorescat, si naturam *duorum* horum *Matutinorum* & *Vespertinorum agnorum*, qui jugiter nomine ac titulo *Holocausti*, pro universo populo, immolabantur, atque *Summo Numini* adinstar Regis augustissimi, celsissimum *Arcæ* thronum, inter *alas Cherubinorum* occupanti, *gratissimum* quasi *in cibum* super altari, *mensa sua*, præparabantur, accuratius paulo consideres, necesse est. Tradit ea, plane *inconveniens* esse, prius ad *mensam propriam*, unde בעל הזבח *Dominus Sacrificii*, una cum Deo, *partem* accipiebat, *ac-*

 cede-

cedere, quam ad *mensam solius Dei, cibo à cunctis Israelitis instructam*; adeoque etiam nec par esse, *sublata* vesperi *mensa Dei*, propriam suam iterum renovare velle. Nam ex sententia *R. Simeonis* אין מחנכים מזבח העלה אלא בתמיד של שחר *non initiabant altare Holocausticum, nisi per Sacrificium juge matutinum*, in Cod. מנחות *Cap.* IV. *Misch.* 4. Atque hinc prognatam esse, *Vetustissimorum* quorundam *Judæorum*, consuetudinem, *quâ* nihil plane, ante *oblatum sacrificium juge matutinum*, gustare vellent, existimem.

§. X. Huc percommode *Chaldæus* illud *Eccles.* X. ℣. 16. שריך בבקר יאכלו & ℣. 17. שריך בעת יאכלו applicat, *utrumque* non sine acumine *παραφράζων* רברבניך עד דלא יקרבון תמידא דצפרא יאכלון לחמא *Principes tui, antequam offerunt Sacrificium juge matutinum, comedunt panem*, ורברבניך בתר דמקרבין תמידא אכלין לחמא בזמן ארבע שעין מן עמל ידידון *Principes tui, postquam obtulerunt Sacrificium juge, comedunt panem in tempore, quatuor horas post labores manuum suarum.* An *Petrus Act.* II. 15. quum Fratres Apostoli, *vino pleni* esse, arguerentur, inquiens Ου γὰρ, ὡς ὑμεῖς ὑπολαμβάνετε, οὗτοι μεθύουσιν· Ἔστι γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας, *idem*.

idem, & quomodo, ob oculos habuerit, *id* judicio & induſtriæ cujusque relictum atque commendatum eſto. Mihi ſaltem, *hoc* ſi ſtatuatur, atque tanquam *fidum lumen* aſſumatur, haud diſplicuerit. In primis præ *eo* ſpernerem, quod *Magno* olim *Eraſmo* excidebat. *Tempus* ſcribit *erat Pentecoſtes*, *quo Sol exoritur ante quintam, ni fallor. Quam igitur* tertiam *vocat Petrus*, *nobis eſſet octava. At qui prodigium non ſit apud nationes quasdam hominem eſſe temulentum horâ octavâ. Verum in illis regionibus*, *juxta Pauli dictum*, qui erant ebrii, nocte erant ebrii.

CAP. VIII. *Vers.* 31.

ויאמר משה אל אהרן ואל־בניו בשלו
את־הבשר וג"ו כאשר צויתי לאמר
אהרן ובניו יאכלהו

§. I.

Cuncta ex facili hîc & limpido fluunt, adeoque quod ad ſenſum *Præcepti* hujus *Moſaici* rite conſtituendum, ac liquide percipiendum, nulla *mihi* difficultas. Sed quid ſibi velit ipſa illa *provocatio* כַּאֲשֶׁר צִוֵּיתִי וג'ו *quemadmodum præcepi* &c. non adeo liquet, & *ubi* locorum præcipue, *Aharonem*, ejusque *filios* illud *juſſiſſe*

legatur *Moses*, maxime obscurum atque anceps relinquitur. *Talis* profecto *locus* fugit non solum LXX *Seniores*, qui, *literulam finalem Jod*, in τῷ צויתי tanquam *affixum* 1. *Pers. sing. comm.* forte adspicientes, dederunt ὃν τρόπον συντέτακταί μοι, verum etiam *Vulgato* plane latuit *Interpreti*. Hujus est, *Ellipsi*, quam heîc deprehendebat non adeo *duram*, sic expressâ: *Sicut præcepit mihi Dominus*. Utrumque approbat *Joannes Clericus*, existimans, tum τῶν ό, tum *Vulgatum* צֻוֵּתִי in *Puhal* legisse; quod & *fortasse aptius*, quam commune illud *quemadmodum præcepi*, pronunciat, hac *Crisi* adjectâ: *Neque enim antea Aharonem hoc jussisse legitur Moses*. Prudentius tamen, meo quidem judicio, siluisset *Vir Clarissimus*. Nam ex *Alexandrinorum Interpretum Versione*, elicere velle, olim fuisse lectum, pronunciatumque צֻוֵּתִי & non צִוֵּיתִי esset *tortorem* agere *Verborum*, quæ *Explanatoris* indigent, & nimis violentam *Mosi*, quin *sibimet ipsi*, injicere manum. An quicquid nobis *minus* intellectum, continuo *male* lectum? Minime gentium. Suspicor quoque, *Virum Doctum*, annexam illam κρίσιν, lubentem *missurum* fuisse, vel saltem, non tam mordicus *eidem* inhæsurum, si in promptu habuisset *Exod.* XXIX: 32. Quod non succurrisse *Ei*, aut ex *Lectissimo Ainsworthiano Commentario* ne adfulsisse quidem, mirum.

§. II.

§. II. Tu ergo, pertentes velim, extantia *ibidem* verba ואכל אהרן ובניו את בשר האיל ואת הלחם אשר בסל וכ'ו atque *Mosen*, cum *illa* scriberet, *huc* allusisse, & oculos quasi convertisse, omnino mecum credideris. Neque, opinor, est, ut *discrimen Personarum*, quod, *Deum* illud *Exodi*, *Mosen* vero *Levitici* hocce, *Aharoni*, ejusque *filiis*, in mandatis dedisse, suggerit, quemquem offendat. *Mosen* enim, titulo ac nomine *Dei*, ipsius *Legislatoris*, cujus *præceptum* erat, verba facere, *Legisque*, divinitus jam *datæ*, memoriam refricare, pulchra *Eruditissimi Ainsworthi* est observatio. Equidem *nitidæ* huic *observationi* omnia defero; ac præsertim præ ea sperno, *quod* ab aliquo jam tempore *mentem* traxit, nec tamen ad *se* in solidum pertraxit. *Id* repræsentabat mihi, *Mosen*, fidelissimum Dei servum, *hocce*, quod loquor, *mandatum*, ut antea *reverenter* è cœlesti *acceptum* sanctuario, ita & *Aharoni*, ejusque *filiis*, dubio procul *oretenus* jam *injunctum*, heîc, *de novo*, loci, ipsâ invitante materiâ, iterare, ejusdemque *summam*, breviter *calamo*, & *ore* fortean, memoriæ iterum indere potuisse, adeoque in *hæc verba* כאשר צויתי לאמר אהרן ונ'ו *quemadmodum præcepi*, *dicendo*: *Aharon* &c. haud immerito erumpere debuisse. Nihil *paradoxi* quidem ac *insolentis* proferret, qui *istis*, quæ monstro, *vestigiis* insisteret. Verum tamen ut fatear, *talia*, quùm sine idoneo ple-

plerumque fundamento, quæsitis undique coloribus, in apricum producuntur, casto, religiosoque pectori, difficulter *sese* admodum probaverint, neque sua unquam sponte imis, quod dicitur, medullis insinuaverint.

§. III. De cetero, quam graviter & nervose כאשר צויתי enunciatum fuerit, nondum, credo, senties. Quomodo enim cunque *hoc* accipias, atque nunc, *quemadmodum præcepi*, nunc, *sicut mandavi*, prouti libet, efferas, non nihil quidem rotundi, *Latinisque auribus* perquam accommodati habebis, *eo* tamen *ipso*, te solidum illud, tutumque, quod simplex, eaque propria *Radicis nostræ* צָוַי & per *Anomaliam* צָוָה *Conjugationi Pihhel* צִוָּה *qua* nihil usitatius, nihil quod se uberius in consuetudine sermonis ingerat aut diffundat, *notatio* subjecit, neutiquam possidere, pronuncio. *Lexicographos* hic nihil *fixi* & *explorati* tenere, ingens illa ac liberalis *Veteris Latii* copia, quâ *tria*, *quatuorve vocabula*, pro *unico Hebraico* צוה largiuntur, atque ope *Interpretum nostrorum*, modo per *præcepit* & *jussit*, modo per *mandavit* ac *decrevit*, exprimuntur, meridianâ clarius luce, declarat. Quid enim? Annon alia, si *Originem* spectes, longe vis est *præcipiendi*, quam *mandandi?* Quid *jubere*? Quid *decernere*? Inquies, ad *unum* sese *usum* omnia porrigere. Non inficias iverim. Quis tamen sanus dixerit, *unâ* etiam ab *stirpe* propagari? Ergo scire

ſcire pervelim, quid *obliteratum* & *longa oblivione ſepultum* iſtud צוה in *Kal* proprie reſonuerit; ut *inde*, quid *Pihhel*, quid *Pyhhal*, quæ *duo*, reliquis funeſtiſſime extinctis, *Sacratiſſimo* in *Codice* tantum ſuperſunt *Conjugationes*, in ſinu ſuo gerant, luſtrare, viamque ſimul quâ *ſecundarium* illud *jubere*, *præcipere*, *mandare*, cum ſuo *primario*, quod veſtigamus, amiciſſime conveniat, concordetque, invenire poſſim. Dicam ne צִוָּה in *Origine* eſſe *capere*, *κάπτειν Græce*, idem atque *ἀποδέχεσθαι* & *χωρεῖν*? unde *præcipere*, quod proprie eſt *προλαμβάνειν*, ad *eos* poſtea, qui *jubent* aut *inſtruunt*, *Præceptorum* etiam hinc arceſſenda appellatione, reſtrictum, vulgo cenſetur. Dicam ne *manudare*, ex *manus* & *dare*, deductum atque in *mandare*, quod *Græcorum* *ἐγχειρίζειν* complectitur, facile transfundendum? Dicamne *voce urgeo* & *impello*, *ἢ βιάω* à *Græcis* enunciatum? unde, *jubeo* prognatum *Latinorum*, conjicit *Matthias Martinius*. Hanc in ſententiam *Avenarii* forte propendet acumen. Scribit צִוָּה *Præcepit*, *juſſit*, &c. *eſt verbum poteſtatem & auctoritatem habentis*. *Hinc ἀξιόω jubeo*, *dignum puto*, *ἀξία & ἀξιότης dignitas*, *auctoritas*; *Nam quæ præcipiuntur*, *debent habere auctoritatem & eſſe digna factu*. At deficiente in *Sacris* proprietate, & primitiva, quam quærimus, indole, *Profanos* etiam in totum fugiente *Scriptores*, temere *id* definiretur, & nimis

au-

audacter, pro *capere* κάπτειν, pro ἐγχειρίζειν *manudare*, contracte *mandare*, pro *aliis* item iis haud *absimilibus*, aliquid affirmaretur. *Ea* merito *primaria* habebitur *notio*, ex qua, omnium locorum, in quibus *hoc* vel *illud* sese offert *Thema*, suavissime explebitur *sententia*; cum *eo* tamen veritatis *charactere*, ut *ista*, quam *formalem* putamus, *Potestas*, non ex *ingenio*, *conjectandive artificio* fabricetur, sed in *auctoritate Genuinæ Orientalis Linguæ Dialecti* fundetur. Miror, neminem *Lexicographorum*, de vocabulo *Injungendi*, Thematis *Jungo*, quod insertâ *N* literulâ, est à *jugo*, Græce ζυγῶ idem ac ζυγόω & ζευγνύω, cogitasse, atque τῷ צוה si non majori, eodem saltem *probabilitatis* gradu, quo & *jubere*, & *mandare*, & *præcipere* &c. cum quibus omnibus *secundario usu*, *sensuque* intimius est conjunctum, *ei* adsignantur, haud subjecisse. Id dubio procul ideo suppressum, quod *Phrasis* tersissimæ Latinitatis *Injungendi alicui aliquid*, stili paulo sit sublimioris, inque *Classicorum* primæ ordinis *Auctorum* scriptis, τοῖς *mandandi*, *jubendi*, &c. &c. ubique *locorum* ferme occurrentibus, *quotidianoque sermoni nostro*, sponte sua se inserentibus, nominibus, multo infrequentius sese offerat, exseratve. Utique *huncce* ad *Scopulum* illi, qui *Dictionaria*, ex Orationis *nexu*, *serie*, aliisque *domesticis* solum *indiciis*, instruere aggrediuntur, inque illius *artificii* ope *productis notionibus* unice acquiescendum, prætereaque *nihil* circumspiciendum esse,

ſe, pronunciare haud erubeſcunt, ſemet ipſos, nolentes, volentes, concutiant, neceſſe eſt. Non enim diſputamus, de *externo Vocum cortice*, ſed de *interno earundem nucleo*, per *quem* integræ locutiones, quibus *hoc* vel *illud*, inſertatum obſerves, *vocabulum*, originaliter à ſe vicem diſcernuntur, & *quænam*, ſuo *aliis*, pondere aut *graviores*, aut *leviores* exiſtunt, liquide dijudicantur, *hujusque* inſuper *arcani* auxilio, *Injungere alicui aliquid*, longe aliud, quam *jubere*, *mandare*, *præcipere alicui aliquid*, in *idea* ſibi *propriiſſima*, exhibuiſſe, pronunciantur; licet, *ſecundarium* quod ad *adſpectum*, geminum plane ac gemellum evadant; cum *eo* tamen, ut prius illud *injungere*, fortius quid reſonet, atque pulchrius, nervoſiusque ſimul, quam poſterius *jubere*, *mandare*, ac *præcipere*, vigeat ſemper, floreatque.

§. IV. Hanc interim *Latinorum* nervoſam *Injungere alicui aliquid* locutionem, *genuinam* nobis *Verbi* צוה tradere *originem*, *fontemque primævum* omnium illorum adſpectuum, quibus per *Verſiones*, per *Commentarios*, per *Lexica* poſſit, polleatque recludere, quis negaverit *ei*, qui affirmaret. *Poſterioris* ſaltem, ſuæ nihil *inde* deceſſerit cauſæ. Sed quodnam fundamentum *hancce* mihi ſuſtineret *affirmationem?* Id ſtudioſius, quàm hactenus factum deprehendes, procul dubio quæſitum, longeque felicius inventum, modo *Veriverbiorum Aucupes*, qui ad haſce jam deſudarunt metas, in *eam*, quam nunc trado, incidiſſent *cogitationem*.

nem. Qua vero deficiente, pro gemmis *vitrea fracta*, proque thesauro plerumque obtrudi *carbones*, non est, quod multum mireris. Conamen *Cl. Hackspanii* specimen esto, qui *Vocem* צוּה generalem quandam habere significationem, & *ordinationem* ac *dispositionem* quamcunque in se involvere, *Part*. II. *Notar. Philol. Theol*. in *S. S. p*. 340. sibi accredi postulat. Ubi enim pes ponitur? In *finitima* forte, *Chaldæa*, aliave Linguæ Hebraicæ, *Dialecto*. Hoc si esset, roboris aliquid & firmamenti haberet. At nulla *earum*, tale quicquam, *hisce* sub *Radicalibus* continet. Quid ergo? aciem *Viri Docti* hanc generalem, quam quærebat, *ordinandi* ac *disponendi*, confecisse nobis significationem, omnino censuerim. Cave, idem de *Injungere*, nos ferre judicium, putes; cùm, certissimum *ejus*, paulisper modo exspectaveris, nobiscum habeas *fundum*, atque agnoscas, necesse sit. *Quodnam* roges? *Metathesis*; illa nempe *haud infelix Hebraizandi Clavis*, quâ *hoc* vel *illud nomen*, levi lapsu oris, morisque publici, in situm paulo diversum inflectitur; quod in *omni*, sensim sine sensu, existere *Lingua*, ac facillime, *tum* præsertim, irrepere, *quum* è *patriis* tanquam *sedibus*, per coloniam *Dialecti*, in *alias* aliquid deducitur *oras*, atque descendit, pulchre judicatur. Verbum, quo literarum, *primæ radicalis* cum *tertia*, instituitur *Transpositio* הָצַו vel potius צָוַי vel צָוַו respici

ſpicias nolim; Nam, quod *ſecundam*, in *primam ſedem migrantem*, poſſidet *Literam* וָצָה ſive ex priſca *Linguæ* indole וָצַי audacter adſpicio.

§. V. Tale conſervant *Arabes*, inque *iisdem* plane, quos *Hebræorum* צִוָּה ſuſtinet, exſeritve, ſub *literis Radicalibus* وَصَبَ וָצַי *viva* etiamnum conſuetudine, frequentant *uſibus*. Non dubitabis, ubi *Lexicon Golianum* evolveris. Addo *Cl. Giggeium*, ejusdem *leviculæ Metatheſis* noſtræ, injicere mentionem, atque, τὸ أَوْصَاهُ *Conj.* IV. cum *aff.* per *illud teſtamento legavit*; *illud præcepit*; *monuit*; *commendavit*, *diſpoſuit*, declaratum, *idem ac* צוה *per Metatheſim* eſſe, in *Parentheſi* monere. Neque pleniſſimum amplius denegabunt aſſenſum, qui, ex *Clavi Dialectorum Schultenſiana*, idem hauſerunt, juſtoque jam ſuo *perfuſum* lumine, domum comportarunt. Verba, quæ eam in rem *pag.* 318. concepta invenies, ſic habent: *Nullum dubium eſſe poteſt*, *quin* Hebræo צוי *vel* צִוָּה præcepit, mandavit, *ſpeciatim* ultima voluntate, *reſpondeat* وصب וצי, *in* 2. conj. وَصَّبَ mandavit, commendavit, & *quidem ſtrictius nonnunquam* teſtamento; *prout*

وصيَّة præceptum, mandatum *omne*, *pro* ultima voluntate *reperies* Alcor. Sur. 4: 10, 11. Hist. Sar. *p.* 20. *Jucundum equidem tantam deprendere Harmoniam inter gemellas Sorores. Sed quid, si jucunditati insignis accedat fructus! Nempe sub illo* وصي *deperdita Origo* Radicis צוה *asservatur*, *quæ est* arctius junxit; *unde* צוה על *palam est* injungere alicui *aliquid*, *pro* præcipere, *atque* mandare, *Latinorum usu consimili succinente.*

§. VI. Sane fieri non potest, quin omnes, quibus ingenium inest & judicium, *amicissimam* hancce *notionum* utriusque *Thematis* צָוָה & וָצָה inter se *conspirationem*, non solum ultrò admittant, verum etiam *ei*, cui τὸ צוה sequenti *Particula* על adaptatur, *sensui*, haud parum ponderis ac gravitatis, ex pulchre jam *eruta* ejusdem *Verbi* צוה *Origine*, quam, τὸ وصي וצי idem quod وصل וצל in *re arctius jungenda* & *copulanda*, sartam tectam conservabat, accedere, primo oculorum obtutu persentiscant. Exemplis *Lectorem* non onerabo. Specimen tantum *unum alterumve* edam. Primum esto 1 *Reg.* XI: 11. *Non observasti fœdus meum* & *statuta mea*, אשר צויתי עליך *quæ ego super te*, tanquam geminum onus in humeris portandum,

dum, *conjunxeram*. Non minus graviter & nervose *Jerem.* XXXV: 6. *Pater noster* צוה עלינו לאמר *injunxit nobis*, arcta & severa commendatione, *dicendo: Non bibetis vinum vos & filii vestri*, typi prophetici *Spiritualium* sub *N. T. Rechabitarum*, qui *Naziraeatum colunt*, id est, abstinentiam à deliciis mundi praestant, *in aeternum*. Eadem est ratio *Esth*, II: 10. *Nehem.* I. 14. 2 *Chron.* XIX. 9. *Job.* XXXVI. 32. aliorumque, quae non exscribo. Tantum dicam, *haec aliaque* longe *plurima*, si nasi bene sagacis aliquis persequatur, atque vestiget, fieri non posse, quin *mentem Scriptoris* ubivis *locorum*, *illorum* etiam, quibus τὸ צִוָּה vel *absolute*, vel aliquâ *Praepositionum* ל, אל, & את mediante, sese inseruerat, *illustriorem* multò & *evidentiorem* assequatur, simulque, tum *arctam* & *severam* Praecepti Divini *commendationem*, tum *summam curam*, qua *illud* ab *iis*, quibus tanquam onus, cum *imperio*, imponebatur, prosequendum erat, in *nostro* כַּאֲשֶׁר צִוִּיתִי לאמר וג'ו *quemadmodum injunxi, dicendo* &c. signanter residere, profiteatur. Non nego, nonnulla dari loca, quae, aeque commode, simplicius *jubere*, *mandare*, *praecipere*, quam nervosius *injungere*, ultro assumant, proque τῷ צוה si non majori, eodem saltem jure, admittant. Sed quoque, concedatur mihi, velim,

lim, *hinc* & *illinc* peculiare aliquod lumen & pretiosissimam Orationis gemmulam fulgere, cujus *splendor* atque *nativa pulchritudo* nunquam lucere possit, nisi *illo*, quod primaria *arctius injungendi alicui aliquid* commendat potestas, munitos *nos* sentiamus *præsidio*,

§. VII. Ne autem temere *hoc* affirmasse videar, è re fuerit, *haud levidense* produxisse *exemplum*, & quid in *eo*, per manus *Interpretum* nostrorum, à vero nimis deflexum, verbulo ostendisse. *Phari* hîc *vicem* præbeat, tutumque monstret cursum *Psalmographus*, cujus *Psal.* CXIX. 4. *hæcce* אַתָּה צִוִּיתָה פִקֻּדֶיךָ לִשְׁמֹר מְאֹד conspiciuntur *verba*. Vulgo dantur: *Tu præcepisti mandata tua, observari valde.* Satis dilute. Nec concinnius, quod *Calvino* placuit: *Tu mandasti statuta tua custodiri valde.* Versioni *Belgarum* etiam inest, quod unguem offendat: *Gy hebt geboden, dat men uwe beveelen seer sal bewaren.* Omnia & singula *illuc* tendere, ut *Phrasis* צוה פקדים disjunctim efferatur, atque τὸ פקדיך non cum *antecedenti* אתה צויתה sed cum *subsequenti* לשמר מאד connectatur, facile agnosces. Neque aliter, tuos subducere calculos, fas est, ubi semel, *jubendi*, *mandandi*, *præcipiendi* notiones, sub צוה fueris amplexus, *illasque*, melioris *defectu* lucis, *cum* pulchrius ac nervosius quid fundentis, *tum* commodiorem, sponte sua, distinctio-

ctionem ostendentis, *præsenti Pericopæ* adaptaveris. *Prius*, ni fallor, is *mihi* lubens concesserit, qui, *germanam* modo *Thematis* צוה *naturam*, rite habuerit comprehensam. Ad *posterius* autem, paululum adhærescas, necesse est. Unde *hoc*? inquies. Difficulter inveniet, qui, *Palæstram Accentuationis Hebraicæ*, se *aut* nondum ingressum, *aut* in *ea* nil, nisi *Silukum* Imperatorem, claudere quemque *versiculum*, Reges vero *Athnachum* & *Merca Mahpachatum*, maximam & primariam, *ejusdem Versiculi intermedium*, secandi potentiam, possidere, se didicisse, ingenue profitetur. Nam neque *Athnachus* ֑ neque *Merca Machpachatum* ֥֤ quorum alteruter, proximam, in *Libris Metricis*, & immediatam, *Imperatoris* sui *Silluki*, terminat *ditionem*; hîc comparet. Quid ergo? Requiritur omnino *subtilius* quid, & *arcano Accentuationis* magis respondens, diu quidem quæsitum, sed necdum inventum, neque nunc justo ex fonte suo limpide derivandum, nisi ab eo, qui *Comma hocce*, ad *illorum* numerum, *quæ*, brevioribus constantia periodis, præter ordinarium *Sillukum* Imperatorem, pro *Rege* ordinario, *aliquem* duntaxat *Ducum*, qui hîc loci *Rbebia* est *Gerescbatum* ֗֜ prius *Hemistichium* cum פקדיך finiens, admirabiliter in se continent, reducere sustinuerit. Tale erat *Psal.* IX. 1. למנצח על-מות לבן מזמור לדוד

 tu

τὸ *Rhebia Gerefchatum* in *voce* לבן admittens. Nec omittendum, quod *Pfal.* XXI: *Verf.* 1. in למנצח מזמור לדוד fefe offerebat, atque, ejusdem *Accentûs* auxilio, *vocabulum* למנצח à reliquo corpore, dividebat. Cui, tertio nunc loco, *Noftrum* fub manibus fudans, adjiciatur velim, qui, *Rhebia Gerefchatum*, in *Correctioribus Bibliorum Exemplaribus*, vocabulo פקדיך incumbentem, facili *Te* negotio, inventurum, quin pro *indice*, τὸ פקדיך à *fequentibus* לשמר מאד in totum fejungente, atque cum *præcedentibus* אתה צויתה arcte admodum copulante, libenter agniturum, nullus dubito.

§. VIII. Longe proinde rotundior atque multo elegantior, *integri Commatis*, fententia, fi, nervofâ tum *Injungendi* proprietate, tum firmiori *Vocabulorum* inter fe conjunctione, *illud* mactaveris. Verterem: *Tu*, ô Jehova, *arcte admodum injunxifti mandata tua*, *ut cuftodiantur valde.* Quod, quanto opere, *hîc* conveniat, quantumque addat *Orationi* nitoris, quid *me* dicere attinet? Neque *huc* fe conferre dubitabit, qui noverit, *Præcepta Moralia*, æquitatem naturæ fpectantia, *hac* quidem in *ferie*, per פקודים haud incommode ac eleganter poffe, quin, in oppofitione, cùm ad מצות & משפטים tum ad חקים & עדות &c. &c. neceffario de-

debere, exprimi. Ad quam propositionem, non vereor, ut assurgat, quod gravissima me tenet suspicione, quâ, *duplicem adspectum*, internum æque ac externum, locutionem אתה צויתה פקדיך suo in sinu gessisse, adfirmaverim. *Deum* scilicet צוה sive *Injungere*, quum *externa voce* aliquid promulgat atque alicui mandat, rite appellari, nemini non notum, exploratumque. At, *altero* illo *adspectu*, *usuque*, qui nobis *internus* audit, quid faciemus? *Ei* ut justum infundamus lumen, observo, *Verbum* צוה, à *corporea* sua *Injungendi idea*, ad *incorpoream*, proclivi admodum gradu, migrari potuisse, adeoque à nobis *tum* recte adhiberi, quùm *id*, quod *Menti nostræ* suavissime *inditum*, plenissime *inscriptum*, & arctissime est *injunctum*, justis depingere coloribus aggredimur. *Utrumque effatum* cum *sana Theologia* conjunctissimum, indolique *Legum Moralium*, quæ non solum, ut *Cordi*, cùm in *prima creatione*, tum in *altera generatione*, inscriptæ, verum etiam, ut *externa* super *montem Sinai* edita *voce*, promulgatæ, ex æquo considerantur, apprime respondens, prolixius evolvere haud vacat.

CAP. XVI. *Vers.* 8.

ונתן אהרן על - שני-השעירם גרלות גורל אחד ליהוה וגורל אחד לעזאזל

§. I.

ANniverſaria, *feſti Expiationis publicæ*, quum *die* 10. *Menſis Tiſri* celebranda, atque *totius populi Iſraelitici nomine*, adminiſtranda eſſet, *Solennitas* omnium graviſſima, *duos Hircos*, ad *portam Tabernaculi* ſiſtendos, *Pontifex Maximus* accipere tenebatur, ut *eos* ibi, tanquam in conſpectu *ipſius*, ſuper Arcam fœderis, inter Cherubinorum alas, Regis adinſtar auguſtiſſimi, reſidentis Dei, *ſingularis* plane occuparet *ſors*, & *unum* iterum ab *altero* diſcerneret, ſicque, omnibus præſentibus, palam fieret, *uter* ſe לַיהוָה JEHOVÆ, *uter* ſe לַעֲזָאזֵל AZAZELI, *ſacrum*, *devotumque caput*, offerre debuerit. *Prior*, quem *ſors* pro *Jehova* tetigerat, *Altari* admovebatur, atque לחטאת *in Sacrificium Piaculare* immolabatur, ut *ipſius* in Sanctum Sanctorum inferretur *Sanguis*, ibique, *multa ceremonia*, ad *altare Suffitûs*,

tus, plus vice ſimplici, ſpargeretur. *Poſterior*, qui *Azazeli*, per *ſortem*, ceciderat, non erat *mactandus*, ſed *Vivus* לפני יהוה *coram Jehova* conſtituendus, ut Summi Sacerdotis *manus* capiti ejus, additâ *peccatorum* totius confœderati populi *confeſſione*, imponerentur, ſicque onuſtus, omnique *iniquitatum mole* cumulatus, ad *Azazelem* מדברה *deſertum verſus*, tandem amandaretur. *Utrumque* ſua ſponte ex hujus *Moſaicæ Legis* tenore profluere, ſeque multo adhuc liberalius *attento animo* inſinuare, æqui cordatique Judices, publice profiteantur, uti neceſſe habent, ita, genuinum *Vocabuli* עֲזָאזֵל AZAZELIS ingenium, propriamque naturam, iis adhuc dum circumvallatam jacere tenebris, quas nulla *Eruditionis* aut *Ingenii* fax diſcutere, ad liquidumque perducere valuit, haud ſpernendas *mecum*, qui ſolidioribus *Artis Criticæ* præſidiis *ſe* præmunitos ſentiunt, ni ego falſus augur, invenient rationes, ut ſimul ſubmoneant. Non omnem plane *Nominis hujus* cognitionem, *Interpretibus noſtris*, detraxerimus; *Senſum* enim, *uſumque exteriorem*, nonnullos eorum, qui conſentientibus, *Jonathane*, *Onkeloſo*, *Samaritano*, Interpretibus, *illud*, juſta, ut videtur, ad *præcedens* יהוה *Jehova*, ratione habita, ἀνερμήνευτον reliquerunt, jam per tranſennam adſpexiſſe, crediderim. Sed de *interiori* nobis res nunc erit *ingenio*, eaque *poteſtate*, quam,

prima tum *Radicis* ſuæ *origo*, tum unius ejusdemque *Thematis repetitarum literarum poſitio*, naturaliter *ei* vel inſeverunt, vel artificialiter inſculpſerunt.

§. II. Magnus *Hierozoici Sacri* auctor, *Samuel Bochartus*, primus omnium, quod ſciam, inter Eruditos ad haſce deſudantes metas, extitit, qui τὸ עזאזל *pluriliterum*, non *Junctum*, quod compoſitio fabricavit atque *diverſis* è *Thematibus* conflavit, ſed *Simplex*, hoc eſt, per *multiplicatam ejusdem Radicis literam* oriundum, eſſe *Vocabulum*, ſua firmaſſe auctoritate, non dubitavit; ab *obſoleto* עזל *Arabice* عَزَلَ *removit* & *ſeparavit*, formam *Fracti* alicujus *Pluralis*, in quo *media radicalis*, inſerta א *Aleph* literula, geminatur, عزازل *Hebraice* עזאזל ut derivatam, ſic olim frequentatam, quæ, χωρισμὸς vel ἀναχωρήσεις, id eſt, *ſeparationes*, aut *receſſus* & *ſeceſſus*, expinxerit, hodiedum per eos, quibus hæcce *noſtra* ſunt domeſtica, circumferri, mirifico conjiciens acumine. *Arabice*, inquit, *verbum* عزل *A-*
„ *zala*, removere & *ſeparare eſt*. Exempla
„ paſſim obvia. *Abenbitar* cap. اسفيداج *as-*
„ *phidegi* ſeu *de ceruſa*, اخذ ما كان
„ من النخل صافيا وعزل في ناحية *Su-*
„ *mi-*

„ *mitur quod de aceto parum est, & seorsim sepo-*
„ *nitur.* Historia *Saracenica* capite decimo
„ sexto, *Præfecit* Jezidus *fratrem suum* regió-
„ nibus Irak, & Chorasan, ثم عزله عنهما
„ *deinde removit eum ab illis*, id est, à
„ *præfectura* deposuit. *Et paulo post*, عزل ايوب
„ *removit* jobum, *qui gubernaverat* Ægy-
„ ptum. *Paulus* 1 *Cor.* XVI. 2. *Unusquis-*
„ *que vestrûm prima* (hebdomadis) *die*
„ فليعزل في بيته *domi suæ seponat:* Græce παρ'
„ ἑαυτῷ τιθέτω. Et octavâ Conjugatione *Act.*
„ XXIII. 19. واعتزل به ناحية *Et seorsùm*
„ *recessit:* Græcè, ἀναχωρήσας κατ' ἰδιάν. Et
„ *Gal.* II. 12. اعتزل *Separavit se*, ἀφώ-
„ ριξεν ἑαυτόν. Et 1 *Cor.* VII. 10. لا تعتزل
„ المراة من زوجها *Uxor à viro suo ne se-*
„ *paretur.* Et versu sequente فان اثرت
„ ان تعتزل *Et si maluit separari:* Græ-
„ cè, χωρισθῇ, & χωρισθῆναι. Et versu deci-
„ mo quinto فليعتزل χωριζέσθω, *sepa-*
„ *retur.* Et 2 *Cor.* VI. 17. *Exite è medio*
„ *eorum*

„ *eorum* منهم واعتزلوا & *separamini ab il-*
„ *lis*, ἀφορίσθητε. *Esaiæ* locus est capitis quin-
„ quagesimi septimi versu undecimo, ubi *A-*
„ *rabs* habet Conjungatione septimâ انعزلوا
„ ut *Ezech.* XXXIV. 12. خرافة المنعزلة
„ *agni separati:* Græcè, διακεχωρισμένων. In-
„ didem apud *Arabes* معتزلة est secta quæ-
„ dam Schismaticorum. Et عازل &
„ معزال qui ab aliis se subducit. Et
„ اعزل tam de pastore, quam de pecude
„ dicitur, cùm seorsim pascunt. Fallor, an
„ hinc factum عزازل *azazil* (quod *Hebræi*
„ עזאזל *azazel*, efferunt) cujus formæ Plu-
„ ralia multa sunt apud *Arabes*, quibus mediam
„ Radicalem ità duplicare solenne est cum *E-*
„ *liph* inter duas geminatas inserto. Talia sunt;
„ بزازل *bazâzil* mammæ in *Arabe Herpe-*
„ *niana* Gen. xlix. 25. ضرارج *dsarârig* can-
„ tharides, خطاطف *chatâtiph* hirundines,
„ عجاجل *agiâgil* vituli, خنانص *chanânis*
„ porcelli, سنانر *sanânir* feles, زقاقع *zakâ-*
„ *kì*

„ *ki* pulli coturnicum, خفافش *chaphâphis*
„ vespertiliones, فراريج *pharârig* pulli galli-
„ nacei, كرارز *carâriz* accipitres anniculi
„ cùm mutant plumas, نساسف *nasâsiph* a-
„ ves quædam ut hirundines, زرارق *zarârik*
„ accipitres albi, دراريج *darârig* attagines,
„ زبابر *zabâbir* vespæ, زمامج *zamâmig*
„ *aquilarum gen* u ابابيل *abâbil* hominum &
„ equorum agmina hinc inde sparsa, &c. &c.
„ &c. Longior periodus, quam *huc* ut tran-
scribatur, integra, clauditur: *Vides*, *Lector*, *totidem voces à Radice triliterâ deductas*, *quâ ratione diximus. Ita ex verbo* عزل azala, *quod* separare & recedere *est*, *potuerunt* Arabes *formare Nomen* عزازل azâzil, *quod* χωρισμὸς, *vel* ἀναχωρήσεις, *id est*, separationes, *aut* recessus, & secessus *significaverit*, & *ex* عزازل azâzil Hebræi *mutuari suum* לעזאזל azâzel, *ac eodem sensu usurpare. Ita bircorum unus rectè dicetur Domino fuisse servatus*, *nempe ut super altare mactatus illi esset in cibum*, *quod de victimis legitur* Levit XXI. 6. & *passim. Alter servatus* לעזאזל ad azâzel, πρὸς ἀναχωρήσεις, *id est*, *ut in locum deserti*

deserti remotum & separatum deducatur, *qui vocatur versu vigesimo secundo* ארץ גזרה terra excisa, *aut* divulsa.

§. III. Ut autem, in studio *Linguarum omnium*, & præsertim *Orientalium*, critico, usu venit, ut quod *unus* ædificavit, mox ab *alio* convellatur ac iterum destruatur, ita etiam *hocce*, de quo loquor, artifice *Bochartiana* manu, tam magnifice exstructum, tamque diversis exornatum coloribus in scenam productum, *Systema*, ut debiliorem *sese* sensim ac pedetentim flecteret in partem, cumque suo tandem *Auctore* penitus extabesceret, adeoque longæ deinceps oblivioni ac spississimis *in totum* traderetur tenebris, quosdam *nostrorum hominum*, & olim omni nisu fuisse conatos, & haud minori virium intentione etiamnum conari, *impense* potius *doleo*, quam miror. *Doctus* certe *Lutheranus*, *Salomon Deylingius*, satis aperte prodidit, *se* non *posse subscribere*; quamvis diffiteri noluerit, *Conjecturam*, quæ suam fortiter trahens mentem, pro עזאזל *Azazele*; nomen proprium *loci in inviis obscurisque Arabiæ Petrææ desertis*, *ubi hæc constitutio primitùs promulgabatur*, & quo *hircus ille emissarius prima vice erat ducendus*, substituerat, cum *Bochartiana* ferme convenire. Verba, in *Part.* I. *Observat. Sacrar. pag.* 80. conjecta, sic sonant: *In re ipsa cum BOCHARTO conjectura nostra fere consentit. Nos tamen Arabicam illam originem* vocis, *quam dedit*, *pro certissima*

tissima & ab omni exceptione & dubitatione immuni, *venditare non audemus*. Hoc enucleasse paulo *distinctius*, cœcoque acervo longe *studiosius* exemisse, operæ prætium omnino fuisset. *Quid* enim *causæ* quis dicet, quo minus *Arabica illa* vocis *Origo*, pro *certissima* & *ab omni exceptione* & *dubitatione immuni*, *venditetur*?

§. IV. Non dixerim *Viro Eruditissimo* obstitisse, *eiusque oculos* præstrinxisse, quod *Cl. Spencerus* suo taxabat tempore, qui præcipue, τὸ עזאזל ex عزل illustratum, *ob voces originis Arabicæ vix unquam in Pentateucho reperiundas*, eliminatum ivit. Nam, homini *cornu* pro *naso* stetisse, inde colligeres. In *eo* omnis *ratiocinationis* versatur cardo, *neminem mortalium*, quid, *ditioni Hebraicæ* olim *adnumerata Radix* עזל & per consequens, *Derivatum* עזאזל ex *se* propagatum, *sacratissimoque Codici* non sine *acumine* illatum, sinu comprehenderit suo, liquida unquam mente habiturum, nisi *ipsi illi*, in quorum habitationem & quasi jurisdictionem, *universa Veterum Hebræorum Lingua*, est translata, facilem præpandant viam, sicque *sciendi cupidum* in penitiorem *rei* cognitionem intromittant. Sane *hîc* specimen specitur; *hîc* certamen cernitur; omnesque fateantur necesse est, nullis plane opibus veram *vim* ac *potentiam* nativam *Thematis deperditi* עזל ex *ipso contextu*, cui τὸ עזאזל haud

vice

vice ſimplici *ſe* inſeruit, *extundi*, vel ſaltem *finiri*, certaque ratione, concinnave methodo, *conſtabiliri* poſſe. Jam *Hebræi*, cùm *dare* non potuerint *id*, quod *quæſitum*, & *Chaldæi*, *Syri*, *Æthiopes*, *Samaritani*, quorum *Dialecti* eidem cum *Hebræa* miſere ſubjacent fato, *defectui huic* amplius ſuccurrere haud valuerint, generoſo ad *Arabes* itum fuit impetu, ut ex *eorum Cornu copiæ* depromeretur, quod nec ex *veteri aliqua Verſione*, nec ex *ipſa Contextûs ſerie*, *Locorumque inter ſe collatione*, nec ex *fortuita quadam Literarum affinitate*, nec ex *mero Conjectandi artificio*, aſſumere par erat & verum. Qui ergo, *certiſſimam & ab omni exceptione ac dubitatione immunem*, quam *Arabia*, in hunc usque diem, ſub *literis Radicalibus* عَزَلَ ſtudioſe conſervat, *notionem*, Hebraico עזאזל *Azazelis* vocabulo, vindicare aggreditur, *vocibus in Pentateucho occurrentibus*, cenſendus *non* eſt, *Arabicam* tribuiſſe *Originem*, ſed, ductu tantùm, auſpicioque *Arabum*, hactenus *earundem* fugitivam indolem, eruiſſe, ac præſertim *eam*, ex intimis *Regni Joktanici* penetralibus, quæ errorem à *ſe* defendat, expromſiſſe lucem, revera æſtimandus, adeoque ab omnibus, qui vel *ſolida* amant, vel ſaltem ſtare patiuntur, ut *ſagax Hebraicæ Veritatis perſcrutator*, haud immerito ſalutandus.

§. V. Nec adfirmaverim quoque, ſed tantum conjecerim, ut *conjectator*, haud ſecus ac *jacu-*

jaculator, *me* tetigisse *scopum*, nec ne, aliorum relinquens judicio, *ipsum illum* animi liberalis *candorem*, & castissimi ingenii *ingenuitatem*, quæ, *nihil satis certi se* per עואזל à עזל deductum afferre, prudenter inculcabant, *Cel. Deylingium* implicitum & quasi obsessum tenuisse, quo minus *laudatæ Conjecturæ*, vel *subscribere* vel *favere* sustinuerit. Scilicet, *hæc* erat nunquam satis laudanda *Summi nostri Bocharti* ingenuitas & ab omnibus laudabiliter imitandus *erectioris sui ingenii* candor; quem *expressissimis verbis*, antequam *id* sibi dabat *negotii*, ut paulo curatius in *veras Nominis obscurissimi natales* inquireret, declaraverat. *Fateor*, inquit, *me de voce* עזאזל azazel, *nihil habere satis certum. Sed conjecturam affero, quam doctorum judicio submitto libens*. Sic utique scribendum. Hoc, circa quodcunque *ænigma Labyrintheis ambagibus cæcatum* atque *implexum*, publice, privatim, semper & locorum ubique, profitendum, ut, *ei* quid *veri*, quid *falsi*, quid *certi* ac *incerti* insit, ab *homine Veritatis studioso*, statim sentiatur non solum, sed & à *posteritate nostra* evidenter *inde* concludatur, *nos*, rerum nostrarum studio non animatos, omnia nostra *Sapientioribus* tradidisse, *limatissimoque* eorumdem subjecisse *judicio*. Jam vestram fidem *Interpretes?* An unquam quicquam *importunius*, speciosoque sub colore *repugnantius*, & ab omni specie veri *abhorrentius* prolatum, quàm, *eo solum nomine* ac *titulo*, elegantem *Literatorum*

Principis, docte, modeste, *Crisi nostræ* oblatam cogitationem, ut puram putam, prælerque blandam aliquam subtilitatem, nihil *certi* ac *solidi* nihil, quo ulterius *se* defendat, adjuterve, suo sub ambitu comprehendentem, *Conjecturam* repudiare, spernere ac traducere velle? Præcipue, cùm τὸ עזאזל ut *simplex Vocabulum* à עזל propagatum, *certissimum* suum *solido* innixum *fundamento*, rite modo comprehendatur, habeat *pondus*; Quod ego, cur præ omnium in ore celebrata *Sententia*, quæ *illud*, non ut *simplicem*, sed ut *compositam*, aut ad עזז & אל aut ad עז & אזל revocandam *formam*, adspicit, jure abjiciam, non facile dabitis.

§. VI. Tu experiaris ipse, atque pro *Priori* illo, *quod* vel *Montem asperum Dei*, hoc est, *summe asperum* & *præruptum montem*, unde, *Hircus in desertum* missus, funestissimum in modum erat deturbandus, vel *Potentem Deum*, cui, *alter hircus*, altero ליהוה *fœderato Deo* pro *Judaica* jam *Ecclesia* oblato, tanquam *Severissimo*, potentiam suam ex *solis admirandæ creationis* & *gubernationis potentissimæ operibus* ostendentis, *Numini*, pro *gentilibus extra communionem Ecclesiæ* hactenus *versantibus*, adsignabatur, nimis confidenter suggesserat, *nihil* pronunciaveris mecum. Nec dubium, quin *is*, qui nullæ se addixit sententiæ, *idem*

idem de *Posteriori* decernat; quod *quadrifariam* se explicat, atque *Caprum abeuntem*, qui *statim* scilicet *abiturus*, vel *Hircum, qui jam abiit*, hoc est, *Diabolum*, spiritum illum nequam & protervum, qui, contra *Deum* rebellans, ab *ipso* defecit, vel *Fortem fugientem* & *citò recedentem*, nempe, *Diabolum*, qui τὸ ἴδιον οἰκητήριον relinquens, de loco in locum semper abit, nec uspiam moram facit, præsertim si repulsam patiatur, vel *Locum arctum* & *petricosum*, uno verbo, *Præcipitium*, quorsum *Hircus* ille deducendus erat, in scenam producit. *Prius*, justas *Etymologiæ* leges non servans, neque ex עז & אל, respectu compositionis, עזאל sed עזאזל procudens, haud immeritò leponitur, atque inconvenientiæ arguitur. *Posterius*, plus *commoditatis*, adfert. Non tamen *illud* affert, quo securè acquiescere licet. *Prima* ratio *justissimam* inter *utramque sortem* tollit *oppositionem*, & plane *diversam*, τῷ ל *utrobique* adhibitæ, tribuit *potestatem*; quod, in *una eademque Ceremonia*, uno *Orationis* halitu, enarratâ, valde est incongruum. Quare nollem, *Clariss. Meiero P.* IV. *Antiquit. Sacr. Cap.* IX. *pag.* 263. excidisset: Τὸ ל *suam* amittere *significationem*, indeque *verba* לשלח אתו לעזאזל *Lev.* XVI: 10, *ad mittendum eum Laazazelem*, vel subintellecto להיות *ut sit Azazel*, vel *in hircum*

emissarium, Latinis *convertenda* esse auribus. *Secunda* & *Tertia*, quæ in *unum* exeunt *scopum*, inque *eodem* amicissime conveniunt, *antiquæ Priscorum Hebræorum*, qui עזאזל *Azazel* unum ex *quatuor Dæmonum*, *hæcce* סמאל / עזאזל / עזאל / מחזאל *Samaël*, *Azazel*, *Azael*, *Machazeel* præ se ferentium *Nomina*, esse *Antesignanis*, sua sanxerant auctoritate, innititur *Catechesi*. Atqui ego *sententiæ*, quæ, non *aliunde*, quàm ex *ipsa* male intellecta *rituum* circa hircum לעזאזל *Azazeli* consecratum *observandorum*, derivatur *Pericopâ*, non facile crediderim. Incommodum non parum *isti Conjecturæ* detrahens momenti; quod eò *incommodius* accidit, quanto minus commode, per *eam*, quæ ex עז & אזל apparet conflata, *Compositionem*, se commendari patitur. Sed *quid* adportat *Quarta?* Nihil *sani*. Quicquid tetigeris, *ulcus* est. *Infelix conjectura*, eò evadit *infelicior*, quanto *eam* magis *infelici Judæorum hariolationi* videmus *adaptatam*.

§. VII. Hæc autem omnia, quæ hactenus *vel* disputata, *vel* liquidiori vindicata sunt luci, non *ita* velim accipias, ac si *iis* significassem, *me*, integrum *Demonstrationis Bochartianæ* curriculum, sine *ullo stringente nodo*, decurrisse, adeoque in *eam*, quam loquor, τ8 Πάνυ *sententiam* securum *me* ire pedibus, sustinuisse;

ſe. Haud pœnitet, *Regiam* illam *Hebraizandi viam*, quæ à primis *Dialecti Hebraicæ* reſtauratoribus, primisque *Lexicorum* conditoribus jam *trita* cernitur, *ingreſſum* eſſe. Quod ſi tamen, fatebor enim, *filiolam* in *ea* inventam, atque *publico lumini* expoſitam, primo oculorum obtutu, exoſculari vellem, aliisque *eam* animitus commendare, ne ſub impudenter facerem, vererer. Quam *id* non ex vano adfirmem, age, *interiorem* illam, *quam* cùm *formatio*, tum *ſignificatio* noſtri, ab *obſoleto* in Bibliis *Themate* עָזַל *Arab.* عَزَلَ tracti *Nominis*, admirabiliter circumfecerunt, paulo *adbuc* attentius pertentemus *naturam*; Acutiorum permittentes arbitrio, *uter noſtrum*, quid *Sacer Scriptor* ſub τῷ עזאזל fuerit complexus, acu tetigerit.

§. VIII. *Etymologia*, rei ſuperius commemoratæ, tradebat: *Vocabulum* עזאזל eam *nobis* ſiſtere *formam*, quæ, ad inſtar τῦ كلالب ἀπὸ τῦ كلب כלב, כלאלב τῦ سكاكين ἀπὸ τῦ سكن סכן, סכאכן τῦ قطاطس ἀπὸ τῦ قطس פטש, פטאטש τῦ كناتب ἀπὸ τῦ كتب כתב, כתאתב, aliorumque haud abſimilium compluſculorum in *Arabia* extantium nominum, per *Geminationem mediæ Radica-*

dica-

dicalis, inserto א *Aleph*, à *Themate* عزل עזל propullulans, justo *numeri Pluralis fracti*, hoc est, imperfecti, & à *suo Singulari*, non adjectis *τῶν* ون ים & ات ות sive sit *Masculinum* sive *Fœmininum*, terminationibus formati, titulo fuerit condecorata. *Id* adhuc minus intellectum, à *Cl. Pfeiffero*, in *Dub. Vex.* ad *h. l.* Aliàs non contradixisset, vel saltem non obmovisset, *duas sic redundare literas*. Aliquid dixisset, si cum *Doct. Clerico* in medium dedisset: *Vix credibile fieri, ipsam inflexionem Arabicam, Hebraicè loquentibus servatam fuisse*. Durior enimvero sententia & concoctu difficilior, quæ, *Hebræos ex quinquelitero Arabum* عزازل azâzil à *trilitero* عزل *formato*, suum עזאזל azâzel *mutuari potuisse*, ingesserat. Quam *ita* mitigaveris nunquam & temperaveris, etiamsi refingeres, & *Hebræos* & *Arabes*, suum עזאזל عزازل à *Radice trilitera* עזל عزل ex æquo produxisse, ut *cavillationi*, vel potius *dubitationi*, nulla *inde* linquatur ansa. Ubi enim gentium, *veri nominis Plurale*, quod vocant, *Fractum* invenitur? Apud *Arabes*, haud dubie inquies. Atqui *illa omnia*, quæ, secundum *Grammaticam Arabicam Wasmuthianam*, rotundum *diversarum*

XXVI. formarum complent numerum, non majori jure pro *Pluralibus* habentur, quam quo, *Literarum* plane *expers*, τὰ עַם *populus*, בָּקָר *armentum*, צאן *pecus minutum*, &c. &c. in *Hebræorum Dialecto*, veri nominis *Pluralia* existere, contenderit. Repones forte: In certissimum *Pluralitatis* indicium, cum *Verbis* per *Numerum Pluralem* enunciatis, aliquando *construi*. Nihilo tamen magis inde collegeris, *illa Pluralis* esse *numeri*, atque ex hac *constructione Hebræa* ויעלו כל־העם *ascenderunt omnis populus*, 1 *Reg*. I. 40. item, ex הבקר היו חורשות *bos erant arantes*, *Job*. I. 14. nec non, ex מתו כל־הצאן *morientur totum pecus minutum*, cum ratione concluseris, *voces* צאן, בקר, עם *genuinum* repræsentare *Pluralem numerum*. Quid multa? Longe frequentius, cum *Verbis Singularis numeri*, struuntur. Unum alterumve *exemplum* edam. *Eloquentiæ Arabicæ* Princeps *Haririus*, in *Cons*. I *Sanan*. *p*. 2.

طَوَّحَتْ بِي طَوَائِحُ الزمن صنعاء اليمن

Impulit me impellentes casus temporis usque Sanaam Arabiæ Felicis. Idem, *pag*. 10. وقد أَحَاطَتْ به

أخلاطاً الزمر احاطة الهالة بالقمر والاكمام بالثمر *Cingebat vero illum mista genera agminum, sicut circumdare solent halo lunam, & tegumenta suos fructus.* Porro, *pag.* 12. *Audiebam illum dicentem, cùm jam incitatior esset in instituto suo,* وهدرت شقاشق ارتجاله *sonaretque prolata è pectore verba extemporaneæ suæ orationis.* Item porro, *pag.* 16. *An putas fore,* لو ينقذك مالك حين توبقك اعمالك *ut eripiant te opes tuæ, ubi te exitio dederit opera tua.* Nec non, *pag.* 22. *Traxit te admonitio; at præbuisti te refractarium* وتجلت لك العبر فتعاميت *& ob oculos tibi propositum est exempla, sed simulasti te cœcum.* Longum foret, omnia persequi. Aliquid tamen sibi vindicat loci *Elegantissimus Tograi*, qui, in لامية العجم *Lamiato 'lAjam, Vers.* 17. ita.

انني اريد طروق الحي من اضم

وقد حماه رماة الحي من ثعل

Equi,

Equidem cupio viam capessere ad vicum montis Idam,

Quem tueri solet sagittarii tribus Tuolitarum.

Similiter, *Vers.* 21.

نوم ناشئة بالجزع قد سُقِيَتْ

نصالُها بمياء الغنج والكحل ۞

Petimus, educatam in flexu vallis, cujus irrita est

Cuspides aquis joci & nigredinis ciliorum.

§. IX. Quam ob rem, cum *Postulatum* hac via minime succedit, jam tempus est, ut aliam instituamus. Et quidem *illud* in promtu est, quod, præeunte *Christiano Ravio*, omnes illas *Fractorum* vel *Insanorum* pluralium formas, *insana* potius *Grammaticorum commenta* esse, quam, quæ dicuntur, *nomina pluralia*, pronunciante, nobis offert *summi judicii* VIR, *Jacobus Rhenferdius*, in *Rudim. Grammat. Harm. Ling. Orient.* §. LI. *Mera*, scribit, *& pura singularia sunt, sed collectiva, sive quæ multitudinem significant, uti apud Latinos* populus, plebs, gaza, *quæ etsi hominum multitudinem & opum vim significant, ta-*

men singularia esse non desinunt. Clara utique sententia, *à plerisque singularibus*, tam *rationalibus*, quam *irrationalibus*, formari *alia nomina*, pro peculiari *Linguæ* usu, ac speciali *ejusdem* adspectu, pariter *singularia*, sed quæ *multitudinem* significant *illorum nominum* à *quibus* derivantur. Quis tam morosus & difficilis, ut *hæc* carpere audeat. Nonne, τὸ طَوَايِحُ & *Nomen Collectivum* est, à طايحة *masc.* طايح *Part. fœm.* τῦ طاح derivandum, & *sedi suæ* aptissimum? *Impulit me* multitudo *impellentium casuum* &c. Nonne, τὸ أَخْلَاطٌ & *Nomen* est *Collectivum*, à خَلْطٌ *Inf.* I. *Conj.* τῦ خلط propagatum, & *nexui suo* apprime respondens? *Cingebat illum* multitudo *mistorum generum* &c. Haud absimiliter de *reliquis omnibus* judicaveris. Nec dubium, quin illud, quod in *Dialecto Arabum* jure admissum, eodem jure, *Dialectum Hebræam*, intrare potuerit. *Exemplo* sit *Vocabulum* בָּקָר quod aliquando *singulariter* pro *Bove*, aliquando *collective* pro *Armento*, sive *boum multitudine* usurpatur, atque nunc cum *numero* Verborum *singulari*, nunc cum eorundem *plurali*, conjungi *se* patitur. Ejusdem

dem *generis* censendum, quod sub עם *Populus*, multitudo *hominum*, non *uno* in *loco* residet. Vide sis *Exod.* XVI: 4. ויצא העם ולקטו Ἐξελεύσεται ὁ λαὸς, καὶ συλλέξουσι, *Exibit populus, & colligent.* Mitto alia, & moneo duntaxat, *nullum* mihi amplius sedere *dubium*, quin *Hebræi* æque ac *Arabes*, procuderint *Pluralia fracta*, hoc est, *imperfecta*, si *ea* modò *Nomina*, quæ non *terminatione*, sed *potestate*, illius *rei*, de qua adhibentur, *multitudinem* significant, *Pluralis insani titulo*, salutare velimus, adeoque *omnia illa*, formam τὸ עזאול à עזל deductam, *repræsentantia Vocabula*, quæ *nihil aliud* sunt, nec per rerum naturam *aliud* esse possunt, quàm *veri nominis Singularia*, tum rite ac recte à nobis adhiberi, quùm *id*, quod *Radices*, à quibus derivantur, *induerant*, vel ut *unum* singulariter, vel ut *in partes divisum* pluraliter, justis suis exprimere coloribus aggredimur. Ut proinde *atro carbone* non sit notandus *Cel. Relandus*, qui τὸ לעזאזל لعزازل *Laazazel* explicaturus, *idem illud*, non *Pluraliter* sed *Singulariter* accipiebat, atque non per πρὸς ἀναχωρήσεις, sed per *secessioni*, liquido, ut videtur, animo convertebat, *Part. IV. Antiq. Sac. Veter. Hebræor. Cap.* VI. §. 8.

§. X. Verùm, utcunque hoc sic satis speciosum sit; non tamen, opinor, arriserit ante, quam *Conjugatio* illa *Radicis* עָזַל quæ τὸ

עזאול

עזאזל ex ſe producere valuït, in lucem fuerit protracta. Cum enim *omne Vocabulum* totius *Linguæ Orientalis*, certum *formationis ſuæ* habeat fundamentum, atque ex *eo Conjugandi ordine*, cujus tum *faciem* repræſentat, tum *naturam* conſervat, limpide derivetur, per ſe patet, τὸ עזאזל *ditioni Hebraicæ* adnumeratum, *peculiarem* etiam *ſibi* in *Themate* עזל poſſediſſe *Conjugationem*, ex qua tum *formam* hauſerit, tum *potentiam* cuſtodierit. Id veriſſimum eſſe, nemo non agnoſcit, & ſi non *aliunde*, ex *hocce* ſaltem *Numero* exemplorum *Septenario*, דָּבָר *Verbum*, *Gen.* XLIV: 18. נָזִיד *Juſculum*, *Gen.* XXV: 29. גַּנָּב *Fur*, *Exod.* XXII: 6. סוּפָה *Turbo*, *Amos.* I: 14. הַרְבֵּה *Multiplicatio*; *Geneſ.* III: 6. תָּרְמָה *Fraus*; *Jud.* IX: 31. הִתְנַדְּבָה *Spontanea oblatio*, *Eſth.* VII: 16. qui, *omnes ſeptem* τῶν דָּבַר, זִיד, גָּנַב, סָפָה, רָבַב, רמה & נָדַב tritiſſimas *Conjugandi* variationes, oſtendit, *idem illud* libens recognoverit. Dic ergo, ſodes, *cuinam Radicis* עָזַל *Conjugationi*, τὸ עֲזָאזֵל vindicandum? Τῷ *Pihhel* dices. Neſcio tamen quomodo. Fortaſſe repones: *Dageſchatum* עִזֵּל

non

non tantum per עזול, verum etiam per עזאזל, literulâ *Aleph* inter geminatas *insertâ*, scribi potuisse. Cras credo; Sed illud hodie scire videor, me non tam vacui capitis esse, ut in *erubescendum* hocce *ambiguum*, vel inscius, vel prudens incurram; indeque *nodum* fere *Gordium* non solvam, sed incidam. Quid ergo fiet? inquis. Bono animo es: Nam & *Conjugationi* & *Formæ* ex ea productæ, suus constabit honos, ubi diversas *Verborum* flexiones, non intra *septenarium*, sed *septenario* longe *majorem numerum*, concluseris. Unde enim שַׁעֲרוּרָה *Jerem.* V: 30. סַגְרִיר *Prov.* XXVII. 15. חַכְלִילִי *Gen.* XLIX: 12. *&c.* *&c.*? Unde חֲלַקְלַקּוֹת *Psal.* XXXIII: 6. אֲדַמְדֶּמֶת *Lev.* XIII. 19. יְרַקְרַק *Psal.* LXVIII: 14. *&c.* *&c.*? Unde שַׁלְהֶבֶת *Ezech.* XXI: 3? Unde *alia* multo adhuc *plura*? Nihil plane *solidi* responderis, nisi plures *tum*, quum *Linguæ amplitudo* vigeret atque floreret, extitisse *Conjugationes*, quàm hactenus à *Grammaticis* consignantur, admiseris, interque *eas* etiam detexeris, *quam* geminatio *mediæ Radicalis*, cum *inserta* aliqua τῶν אוי *literula* adornabat, sicque τὸ עזאזל à עזל ἀναλογῶς producebat. *Talem* utique *flexionem* frequentant *Arabes*, eique, inter XIII. usu receptas, tum *Activo*, tum *Passivo*, duobus

tan-

tantum exceptis, præditas *Conjugationes*, XII *ſedem* adſignant. Vulgariter à فَعَلَ *Active* ſonat فَعْوَعَلَ vel potius اِفْعَوْعَلَ cum adſpiratione. *Hebraice* ſcriberes פְּעוֹעֵל & הִפְּעוֹעֵל atque פְּקוֹקֵד à פקד, עֲזוֹזֵל à עזל, יְפוֹפֶה à יפה, חֲצוֹצֵר à חצר *&c. &c.* pronunciares.

§. XI. Utique *Hebraice* loquentibus *Poſtremum* illud חצוצר in *uſu* fuiſſe, liquida luce liquidius colligi poterit ex חֲצוֹצְרָה *Tuba*, cujus *Pluralis* חֲצוֹצְרוֹת *vice* plus *ſimplici*, in *Sacrarum Literarum Pandectis*, ſeſe offert; quantumvis adhuc minus intelligatur. Nam omnis ævi *Grammaticos* ſi adeas, & quid צ *duplicata* litera *Thematis* ſui הָצַר contineat, exquiras, nihil *aliud* reſponſi loco auferes, quam *Conjugationis Pihhel indicium*, per *geminationem mediæ Radicalis* חצצר expreſſum. Quod ſi tendas, &, quid ergo τὸ ו *Vaw* medium inter *geminatam literam* occupans locum valeat, urgeas, magno *Te* dimittent ſilentio. Atqui *nil* erat facilius, *nil* evidentius, *nil* ſolidius, quam *unico verbo* inſinuaſſe, *peculiarem Radicis* חצר *Conjugationem*, qualem *Arabia* ſub *ipſis Literis*

Radi-

Radicalibus احضوضر *fartum* etiamnum *tectum* conſervat, τὸ *Fœmininum* חֲצוֹצְרָה propagaſſe, *eique* tum *geminatum* צ *Tſade*, tum *ſimplex* ו *Vaw* ſuaviter indidiſſe. Imprimis autem *infelicem* præ *eo* ſpreveris *conatum*, qui *Joannem Avenarium*, ex חָצֵר & צָרַר, primo חצרצרר & *contracte* deinceps חצצר adhamantem, ſalutat *parentem*. Verba ſunt: חָצַצֵר *Clanxit tuba*, *increpuit tuba*, *impreſſit flatum tubæ*. *Componitur ex* חָצֵר *.i.* atrium, *&* צָרַר i. preſſit, anguſtavit; *nam* ſonitus *tubarum non in ædibus*, *ſed ſub dio*, *ut in atriis*, *& in campo ſpacioſo ad convocandum homines fieri ſolet. Contractis autem iisdem literis in compoſitione horum vocabulorum remanebunt tantum tres radicales*, *ſed ad inſinuationem hujus compoſitionis neceſſe eſt*, *ut modo* צ, *modo* ר *geminata relinquatur*, *ad formam compoſitorum vocabulorum*, *quæ ut minimum conſtant quatuor literis radicalibus.* Scilicet *fraudi* fuit *gemina* forma, & מחצררים 2 *Chron.* V: 12. & מחצצרים 1 *Chron.* XV: 24. 2 *Chron.* VII: 6. XII: 14. *&c.* Quam ut in *unam* conflaret, ſubque *certo capite* ordinaret, *Compoſitionem* circumſpexit, *indeque* nobis חצוצרה atque adeo מחצרר & מחצצר mirificus *talium* faber exſculpſit. Argute. Deme modo ex

חצרצרר

חצרצרר nunc *medium* צר, nunc *medium* & *ultimum* ר, atque imbre proclivius & חצרר & חצצר inde *tibi* descendent. Sed quid *quæsitis frigidisque Etymis* opus, ubi omnia *limpidius* fluunt. Quo quid *simplicius*, eo *melius*.

§. XII. Prius חצרר uti *nihil aliud* est, quàm *Conjugatio* פַּקְרֵד *Arabice* فعّل *aspirate* أفعّل *formæ* גמלל unde גְמַלִים *Gen.* XXIV: 10. שפנן unde שְׁפַנִּים *Prov.* XXX. 26. קטנן unde קְטַנִּים *Jerem.* XVI. 6. &c. &c. Sic quoque מחצרר, unde *Pluraliter* מחצררים, *nihil* revera *aliud* esse potest, quàm *forma Participialis* illius *Conjugationis*, quæ, ut *sese* â *reliquis* distingueret, *ultimam Radicalem* duplicabat, atque in *Participio* efferebat:

Plur.	*Sing.*	
מחצררים	מחצרר	*Masc.*
مخضّرون	مخضّر	
מחצררות	מחצררה	*Fœm.*
مخضّرات	مخضّرة	

Hoc *certum*, omnique dubitatione exemptum: Nec *minorem certitudinem* ac *evidentiam*, re bene perpensâ, in ק״ף מחצצרים deprehenderis.

At

At *hoc ipsum* ita *Masorethas* implicuit, ut *Bibliorum margini* adscribere non dubitaverint יתיר צ׳ id est, posterius צ *redundare*, adeoque non במחצצרים sed במחצרים scribendum, &

vel ut *Part. Pibhel* מְחַצְּרִים 2 *Chron.* V. 13.

vel ut *Part. Hiphhyl* מַחְצְרִים 1 *Chron.* XV. 24.

&c. &c. punctandum, legendumque, *sua* sancitum *auctoritate* seriò voluerint. *Cl. Stockius*, malum *huc* pedem illatum videns, in *Clav. Ling. Sanct. V. T. pag.* 379. reposuerat: *Quia in Codice sacro vix litera otiose posita videtur, forte non errabit, si in omnibus legas* מְחַצְּרִים *ut sit Part. pl.* τῦ *Piel.* Laudo monitum. Non laudo, quod, ex *solo ingenio* hîc sapuerit, *Vir Doctus.* Sensit, credo, nodum *Eleg. Hillerus*, מְחַצְּרִים legens, sed non resolvit, quum *Lib.* II. *Arcani Keri & Kethib, p.* 268 annectit: *Servato Cholem nominis primitivi* חֲצֹצְרָה *Tuba.* Similia legas, *ejusd. Lib. p.* 335. Locum evolventi occurrit: מְחַצְצְרִים *mechatztzerim. Nisi malis ex nomine deductum verbum* מַחְצֹצְרִים *tubicinantes.* Sic enim *quæstio* est, & *manet* hactenus, unde הֲצוֹצְרָה derivarint, id est, ex qua *Conjugatione* formarint, quove *illud* jure sub *literis Radicalibus* חצר adoptaverint *Hebræ-*

R

bræorum vetustissimi. Ad *quam* tollendam observo, & חצוצרה & מחצוצרים *unam eandemque*, quod ad *significatum*, agnoscere *Originem*; Cum *eo* tamen, ut nec חֲצֹצְרָה â מחצוצרים neque מחצוצרים à חצוצרה suam *unicuique* propriam *hauserit* formationem, *imbiberitve*. Ignorata *Thematis* חָצַר primigenia potestas, non potest, non debet obstare, quominus *hoc* admittamus. Nullus dubita, quin ex *Præterito* חצוצר حضوضر derivatum sit חֲצוֹצְרָה *Fœminine* enunciatum. Quid quoque *aliud* quæso est מחצצרים, quàm محضوضرون *Partic. Masc. plur. numeri.* Id si admiseris, necesse erit, ut utique non מְחַצְצְרִים nec מְחַצְּרִים, sed מַחֲצְצְרִים simul etiam admittas. Hoc *Singulariter* pro מְחַצוֹצֵר an מַחֲצֹצֵר sonuerit, nec ne? qui *Harmoniam Dialecti Arabicæ* cum *Hebræa*, primis tantum labris degustarunt, haud disputabunt. Flexio antiquitùs *sic* decurrebat,

Sing.

Plur.	Sing.	
مُحْضَوْضَرُونَ מחצוצרים	مُحْضَوْضَرٌ מחצוצר	Masc.
مُحْضَوْضَرَاتٌ מחצוצרות	مُحْضَوْضَرَةٌ מחצוצרה	Fœm.

§. XIII. Hæc proſequi haud piguit, ut *Conjugationes* פקרד & פקוקד nimis diu è *Grammatica noſtra* exulantes reſtitueremus, *geminamque* ex *iisdem* propullulantem *formam*, & מחצררים & מחצצרים per *Maſoretharum* manus anxie ſatis in מחצרים extruſo ר *Reſch*, & in מחצרים expuncto צ *Tſade* coarctatam, ad liquidum perduceremus, atque ſic ex τῶ חֲצוֹצְרָה *clariſſimum* illius *Flexionis* præberemus *ſpecimen*, quæ ex amuſſi *Arabum* احضوضر reſpondens, *unam* τῶν اوبي *Hebraice* אוי, medium inter *geminatum Tſade* occupantem, *literam* repræſentabat. Sed ubi jam locorum *Lingua* recepit, ut ſecundum *ſuperius monitum*, י *Jod* inſeratur, indeque פְּקוֹקֵד &

 פְּקִיקֵד

dicalis, inserto א *Aleph*, à *Themate* فزل עזל propullulans, justo *numeri Pluralis fracti*, hoc est, imperfecti, & à *suo Singulari*, non adjectis τῶν ون ים & ات ות sive sit *Masculinum* sive *Fœmininum*, terminationibus formati, titulo fuerit condecorata. *Id* adhuc minus intellectum, à *Cl. Pfeiffero*, in *Dub. Vex.* ad *h. l.* Aliàs non contradixisset, vel saltem non obmovisset, *duas sic redundare literas.* Aliquid dixisset, si cum *Doct. Clerico* in medium dedisset: *Vix credibile fieri, ipsam inflexionem Arabicam, Hebraicè loquentibus servatam fuisse.* Durior enimvero sententia & concoctu difficilior, quæ, *Hebræos ex quinquelitero Arabum* عزازل azâzil à *trilitero* عزل *formato*, suum עזאזל azâzel *mutuari potuisse*, ingesserat. Quam *ita* mitigaveris nunquam & temperaveris, etiamsi refingeres, & *Hebræos* & *Arabes*, suum עזאזל عزازل à *Radice trilitera* عزل עזל ex æquo produxisse, ut *cavillationi*, vel potius *dubitationi*, nulla *inde* linquatur ansa. Ubi enim gentium, *veri nominis Plurale*, quod vocant, *Fractum* invenitur? Apud *Arabes*, haud dubie inquies. Atqui *illa omnia*, quæ, secundum *Grammaticam Arabicam Wasmuthianam*, rotundum *diversarum*

XXVI.

XXVI. formarum complent numerum, non majori jure pro *Pluralibus* habentur, quam quo, *Literarum* plane *expers*, *τὸ* עָם *populus*, בָּקָר *armentum*, צאן *pecus minutum*, &c. &c. in *Hebræorum Dialecto*, veri nominis *Pluralia* exiſtere, contenderit. Repones forte: In certiſſimum *Pluralitatis* indicium, cum *Verbis* per *Numerum Pluralem* enunciatis; aliquando *conſtrui*. Nihilo tamen magis inde collegeris, *illa Pluralis* eſſe *numeri*, atque ex hac *conſtructione Hebræa* ויעלו כל־העם *aſcenderunt omnis populus*, 1 *Reg*. I. 40. item, ex הבקר היו חורשות *bos erant arantes*, *Job*. I. 14. nec non, ex מתו כל־הצאן *morientur totum pecus minutum* cum ratione concluſeris, *voces* עם, בקר, צאן *genuinum* repræſentare *Pluralem numerum*. Quid multa? Longe frequentius, cum *Verbis Singularis numeri*, ſtruuntur. Unum alterumve *exemplum* edam. *Eloquentiæ Arabicæ* Princeps *Haririus*, in *Cons*. I *Sanan*. *p*. 2.

طَوَّحَتْ بِي طَوَابِحُ الزمن صنعاء اليمن

Impulit me impellentes caſus temporis usque Sanaam Arabiæ Felicis. Idem, *pag*. 10. وقد أَحَاطَتْ به

 أَخْلَاطٌ

أَخْلَاطًا النَّمِرِ احاطة الهالة بالقمر والاكمام بالثمر *Cingebat vero illum miſta genera agminum, ſicut circumdare ſolent halo lunam, & tegumenta* ſuos *fructus*. Porro, *pag.* 12. *Audiebam illum dicentem, cùm jam incitatior eſſet in inſtituto ſuo*, وَهَدَرَتْ شَقَاشِقُ ارتجاله *ſonaretque prolata è pectore verba extemporaneæ ſuæ orationis*. Item porro, *pag.* 16. *An putas fore*, لو ينقذك مالك حين توبقك اعمالك *ut eripiant te opes tuæ, ubi te exitio dederit opera tua*. Nec non, *pag.* 22. *Traxit te admonitio; at præbuiſti te refractarium* وَدُجِّلَتْ لَكَ العبر فتعاميت *& ob oculos tibi propoſitum eſt exempla, ſed ſimulaſti te cæcum*. Longum foret, omnia perſequi. Aliquid tamen ſibi vindicat loci *Elegantiſſimus Tograi*, qui, in لامية العجم *Lamiato 'lAjam, Vers.* 17. ita.

اني اريد طروق الحي من اضم
وقد حماه رماة الحي من ثعل

Equi

Equidem cupio viam capessere ad vicum montis Idam,

Quem tueri solet sagittarii tribus Tuolitarum.

Similiter, *Vers.* 21.

نؤم ناشئة بالجزع قد سُقِيَتْ

نصالُها بمياه الغنج والكحل

Petimus, educatam in flexu vallis, cujus irrita est

Cuspides aquis joci & nigredinis ciliorum.

§.IX. Quam ob rem, cum *Postulatum* hac via minime succedit, jam tempus est, ut aliam instituamus. Et quidem *illud* in promtu est, quod, præeunte *Christiano Ravio*, omnes illas *Fractorum* vel *Insanorum* pluralium formas, *insana* potius *Grammaticorum commenta* esse, quam, quæ dicuntur, *nomina pluralia*, pronunciante, nobis offert *summi judicii* Vir, *Jacobus Rhenferdius*, in *Rudim. Grammat. Harm. Ling. Orient.* §. LI. *Mera*, scribit, *& pura singularia sunt, sed collectiva, sive quæ multitudinem significant, uti apud Latinos* populus, plebs, gaza, *quæ etsi hominum multitudinem & opum vim significant, ta-*

men ſingularia eſſe non deſinunt. Clara utique ſententia, *à plerisque ſingularibus*, tam *rationalibus*, quam *irrationalibas*, formari *alia nomina*, pro peculiari *Linguæ* uſu, ac ſpeciali *ejusdem* adſpectu, pariter *ſingularia*, ſed quæ *multitudinem* ſignificant *illorum nominum* à *quibus* derivantur. Quis tam moroſus & difficilis, ut *hæc* carpere audeat. Nonne, τὸ طَوَايِحُ & *Nomen Collectivum* eſt, à طايحة *maſc.* طايح *Part. fœm.* τῦ طاح derivandum, & *ſedi ſuæ* aptiſſimum? *Impulit me* multitudo *impellentium caſuum* &c. Nonne, τὸ أَخْلَاطُ & *Nomen* eſt *Collectivum*, à خَلْطُ *Inf. I. Conj.* τῦ خلط propagatum, & *nexui ſuo* apprime reſpondens? *Cingebat illum* multitudo *miſtorum generum* &c. Haud abſimiliter de *reliquis omnibus* judicaveris. Nec dubium, quin illud, quod in *Dialecto Arabum* jure admiſſum, eodem jure, *Dialectum Hebræam*, intrare potuerit. *Exemplo* ſit *Vocabulum* בָּקָר quod aliquando *ſingulariter* pro *Bove*, aliquando *collective* pro *Armento*, ſive *boum multitudine* uſurpatur, atque nunc cum *numero* Verborum *ſingulari*, nunc cum eorundem *plurali*, conjungi *ſe* patitur. Ejusdem

dem *generis* censendum, quod sub עם *Populus*, multitudo *hominum*, non *uno* in *loco* residet. Vide sis *Exod.* XVI:4. ויצא העם ולקטו Ἐξελεύσεται ὁ λαὸς, καὶ συλλέξουσι, *Exibit populus, & colligent.* Mitto alia, & moneo duntaxat, *nullum* mihi amplius sedere *dubium*, quin *Hebræi* æque ac *Arabes*, procuderint *Pluralia fracta*, hoc est, *imperfecta*, si *ea* modò *Nomina*, quæ non *terminatione*, sed *potestate*, illius *rei*, de qua adhibentur, *multitudinem* significant, *Pluralis insani titulo*, salutare velimus, adeoque *omnia illa*, formam τῶ עזאזל à עזל deductam, *repræsentantia Vocabula*, quæ *nihil aliud* sunt, nec per rerum naturam *aliud* esse possunt, quàm *veri nominis Singularia*, tum rite ac recte à nobis adhiberi, quùm *id*, quod *Radices*, à quibus derivantur, *induerant*, vel ut *unum* singulariter, vel ut *in partes divisum* pluraliter, justis suis exprimere coloribus aggredimur. Ut proinde *atro carbone* non sit notandus *Cel. Relandus*, qui τὸ לעזאזל لعزازل *Laazazel* explicaturus, *idem illud*, non *Pluraliter* sed *Singulariter* accipiebat, atque non per πρὸς ἀναχωρήσεις, sed per *secessioni*, liquido, ut videtur, animo convertebat, *Part. IV. Antiq. Sac. Veter. Hebræor. Cap.* VI. §. 8.

§. X. Verum, utcunque *hoc* sic satis speciosum sit; non tamen, opinor, arriserit ante, quam *Conjugatio* illa *Radicis* עזל quæ τῶ

עזאזל

עואל ex *se* producere valuit, in lucem fuerit protracta. Cum enim *omne Vocabulum* totius *Linguæ Orientalis*, certum *formationis suæ* habeat fundamentum, atque ex *eo Conjugandi ordine*, cujus tum *faciem* repræsentat, tum *naturam* conservat, limpide derivetur, per se patet, τὸ עואל *ditioni Hebraicæ* adnumeratum, *peculiarem* etiam *sibi* in *Themate* עזל possedisse *Conjugationem*, ex qua tum *formam* hauserit, tum *potentiam* custodierit. Id verissimum esse, nemo non agnoscit, & si non *aliunde*, ex *hocce* saltem *Numero* exemplorum *Septenario*, דָּבָר *Verbum*, *Gen.* XLIV: 18. נָזִיד *Jusculum*, *Gen.* XXV: 29. גַּנָּב *Fur*, *Exod.* XXII: 6. סוּפָה *Turbo*, *Amos.* I: 14. הַרְבֵּה *Multiplicatio*; *Genes.* III: 6. תָּרְמָה *Fraus*; *Jud.* IX: 31. הִתְנַדְּבָה *Spontanea oblatio*, *Esth.* VII: 16. qui, *omnes septem* τῶν דָּבַר, זִיד, גָּנַב, סָפָה, רָבַב, רמה & נָדַב tritissimas *Conjugandi* variationes, ostendit, *idem illud* libens recognoverit. Dic ergo, sodes, *cuinam Radicis* עֵוֶל *Conjugationi*, τὸ עֲוָאֵל vindicandum? Τῷ *Pihhel* dices. Nescio tamen quomodo. Fortasse repones: *Dageschatum* עִוֵּל

non

non tantum per עזזל, verum etiam per עזאזל, literulâ *Aleph* inter geminatas *insertâ*, scribi potuisse. Cras credo; Sed illud hodie scire videor, me non tam vacui capitis esse, ut in *erubescendum* hocce *ambiguum*, vel inscius, vel prudens incurram, indeque *nodum* fere *Gordium* non solvam, sed incidam. Quid ergo fiet? inquis. Bono animo es: Nam & *Conjugationi* & *Formæ* ex ea productæ, suus constabit honos, ubi diversas *Verborum* flexiones, non intra *septenarium*, sed *septenario* longe *majorem numerum*, concluseris. Unde enim שַׁעֲרוּרָה *Jerem.* V: 30. סַגְרִיר *Prov.* XXVII. 15. חַכְלִילִי *Gen.* XLIX: 12. *&c.* *&c.*? Unde חֲלַקְלַקּוֹת *Psal.* XXXIII: 6. אֲדַמְדֶּמֶת *Lev.* XIII. 19. יְרַקְרַק *Psal.* LXVIII: 14. *&c.* *&c.*? Unde שַׁלְהֶבֶת *Ezech.* XXI: 3? Unde *alia* multo adhuc *plura?* Nihil plane *solidi* responderis, nisi plures *tum*, quum *Linguæ amplitudo* vigeret atque floreret, extitisse *Conjugationes*, quàm hactenus à *Grammaticis* consignantur, admiseris, interque *eas* etiam detexeris, *quam* geminatio *mediæ Radicalis*, cum *inserta* aliqua τῶν אוי *literula* adornabat, sicque τὸ עזאזל à עזל ἀναλογῶς producebat. *Talem* utique *flexionem* frequentant *Arabes*, eique, inter XIII. usu receptas, tum *Activo*, tum *Passivo*, duobus

tan-

tantum exceptis, præditas *Conjugationes*, XII *ſedem* adſignant. Vulgariter à فَعَلَ *Active* ſonat فَعَوْعَلَ vel potius اِفْعَوْعَلَ cum adſpiratione. *Hebraice* ſcriberes פְּעוֹעֵל & הִפְעוֹעֵל atque פְּקוֹקֵד à פקד, עֲוֹוֵל à עול, יְפוֹפֶה à יפה, חֲצוֹצֵר à חצר *&c. &c.* pronunciares.

§. XI. Utique *Hebraice* loquentibus *Poſtremum* illud חצוצר in *uſu* fuiſſe, liquida luce liquidius colligi poterit ex חֲצֹצְרָה *Tuba*, cujus *Pluralis* חֲצֹצְרוֹת *vice* plus *ſimplici*, in *Sacrarum Literarum Pandectis*, ſeſe offert; quantumvis adhuc minus intelligatur. Nam omnis ævi *Grammaticos* ſi adeas, & quid צ *duplicata* litera *Thematis* ſui חָצַר contineat, exquiras: nihil *alind* reſponſi loco auferes, quam *Conjugationis Pihhel indicium*, per *geminationem mediæ Radicalis* חצצר expreſſum. Quod ſi tendas, &, quid ergo τὸ ו *Vaw* medium inter *geminatam literam* occupans locum valeat, urgeas, magno *Te* dimittent ſilentio. Atqui *nil* erat facilius, *nil* evidentius, *nil* ſolidius, quam *unico verbo* inſinuaſſe, *peculiarem Radicis* חצר *Conjugationem*, qualem *Arabia* ſub *ipſis Literis*

Radi-

Radicalibus احضوضر *ſartum* etiamnum *tectum* conſervat, τὸ *Fœmininum* חֲצוֹצְרָה propagaſſe, *eique* tum *geminatum* צ *Tſade*, tum *ſimplex* ו *Vaw* ſuaviter indidiſſe. Imprimis autem *infelicem* præ *eo* ſpreveris *conatum*, qui *Joannem Avenarium*, ex חָצַר & צָרַר, primo חצרצרר & *contracte* deinceps חצצר adhamantem, ſalutat *parentem*. Verba ſunt: חָצַר *Clanxit tuba*, *increpuit tuba*, *impreſſit flatum tubæ*. *Componitur ex* חָצַר .*i.* atrium, & צָרַר i. preſſit, anguſtavit; *nam* ſonitus *tubarum non in ædibus*, *ſed ſub dio*, *ut in atriis*, & *in campo ſpacioſo ad convocandum homines fieri ſolet. Contractis autem iisdem literis in compoſitione horum vocabulorum remanebunt tantum tres radicales*, *ſea ad inſinuationem hujus compoſitionis neceſſe eſt*, *ut modo* צ, *modo* ר *geminata relinquatur*, *ad formam compoſitorum vocabulorum*, *quæ ut minimum conſtant quatuor literis radicalibus.* Scilicet *fraudi* fuit *gemina* forma, & מחצררים 2 *Chron.* V: 12. & מחצצרים 1 *Chron.* XV: 24. 2 *Chron.* VII: 6. XII: 14. &*c.* Quam ut in *unam* conflaret, ſubque *certo capite* ordinaret, *Compoſitionem* circumſpexit, *indeque* nobis חצוצרה atque adeo מחצרר & מחצצר mirificus *talium* faber exſculpſit. Argute. Deme modo ex

חצרצרר

חצרצרר nunc *medium* צר, nunc *medium* & *ultimum* ר, atque imbre proclivius & חצרר & חצצר inde *tibi* descendent. Sed quid *quæsitis frigidisque Etymis* opus, ubi omnia *limpidius* fluunt. Quoquid *simplicius*, eo *melius*.

§. XII. Prius חצרר uti *nihil aliud* est, quàm *Conjugatio* פִּקְדֵּר *Arabice* فعّل *aspirate* افعلّ *formæ* גמלל unde גְּמַלִּים *Gen.* XXIV: 10. שפנן unde שְׁפַנִּים *Prov.* XXX. 26. קטנן unde קְטַנִּים *Jerem.* XVI. 6. &c. &c. Sic quoque מחצרר, unde *Pluraliter* מחצררים, *nihil* revera *aliud* esse potest, quàm *forma Participialis* illius *Conjugationis*, quæ, ut *sese* â *reliquis* distingueret, *ultimam Radicalem* duplicabat, atque in *Participio* efferebat:

Plur.	*Sing.*	
מחצררים	מחצרר	*Masc.*
مخضرّون	مخضرّ	
מחצררות	מחצררה	*Fœm.*
مخضرّات	مخضرّة	

Hoc *certum*, omnique dubitatione exemptum: Nec *minorem certitudinem* ac *evidentiam*, re bene perpensâ, in τῷ מחצצרים deprehenderis.

At

At *hoc ipsum* ita *Masorethas* implicuit, ut *Bibliorum margini* adscribere non dubitaverint. 'יתיר צ id est, posterius צ *redundare*, adeoque non מחצצרים sed מחצרים scribendum, & *vel* ut *Part. Pihhel* מְחַצְּרִים 2 *Chron.* V. 13. *vel* ut *Part. Hiphhyl* מַחְצְרִים 1 *Chron.* XV. 24. *&c. &c.* punctandum, legendumque, *sua* sancitum *auctoritate* seriò voluerint. *Cl. Stockius*, malum *huc* pedem illatum videns, in *Clav. Ling. Sanct. V. T. pag.* 379. reposuerat: *Quia in Codice sacro vix litera otiose posita videtur, forte non errabit, si in omnibus legas* מְחַצְצְרִים *ut sit Part. pl. τῶ Piel.* Laudo monitum. Non laudo, quod, ex *solo ingenio* hîc sapuerit, *Vir Doctus.* Sensit, credo, nodum *Eleg. Hillerus*, מְחַצֹּצְרִים legens, sed non resolvit, quum *Lib.* II. *Arcani Keri & Kethib, p.* 268 annectit: *Servato Cholem nominis primitivi* חֲצֹצְרָה *Tuba.* Similia legas, *ejusd. Lib. p.* 335. Locum evolventi occurrit: מְחַצְצְרִים *mechatztzerim. Nisi malis ex nomine deductum verbum* מְחַצֹּצְרִים *tubicinantes.* Sic enim *quæstio* est, & *manet* hactenus, unde הֲצוֹצְרָה derivarint, id est, ex qua *Conjugatione* formarint, quove *illud* jure sub *literis Radicalibus* חצר adoptaverint *Hebræ-*

R

bræorum vetustissimi. Ad *quam* tollendam observo, & חצוצרה & מחצוצרים *unam eandemque*, quod ad *significatum*, agnoscere *Originem*; Cum *eo* tamen, ut nec מחצוצרים à חצוצרה neque מחצוצרים à חצוצרה suam *unicuique* propriam *hauserit* formationem, *imbiberitve*. Ignorata *Thematis* חָצַר primigenia potestas, non potest, non debet obstare, quominus *hoc* admittamus. Nullus dubita, quin ex *Præterito* حضوضر חצוצר derivatum sit חֲצוֹצְרָה *Fæminine* enunciatum. Quid quoque *aliud* quæso est מחצצרים, quàm محضوضرون *Partic. Masc. plur. numeri.* Id si admiseris, necesse erit, ut utique non מְחַצְּרִים nec מְחֲצְּרִים, sed מַחֲצְּרִים simul etiam admittas. Hoc *Singulariter* pro מְחַצְּצֵר an מַחֲצוֹצֵר sonuerit, necne? qui *Harmoniam Dialecti Arabicæ* cum *Hebræa*, primis tantum labris degustarunt, haud disputabunt. Flexio antiquitùs *sic* decurrebat,

Sing.

	Plur.	*Sing.*	
	مُحْضُوضَرُونَ מחצוצרים	مُحْضُوضَرٌ מחצוצר	*Masc.*
	مُحْضُوضَرَاتٌ מחצוצרות	مُحْضُوضَرَةٌ מחצוצרה	*Fœm.*

§. XIII. Hæc profequi haud piguit, ut *Conjugationes* פקדד & פקוקד nimis diu è *Grammatica noſtra* exulantes reſtitueremus, *geminamque* ex *iisdem* propullulantem *formam*, & מחצררים & מחצצרים per *Maſorethſarum* manus anxie fatis in מחצרים extruſo ר *Reſch*, & in מחצרים expuncto צ *Tſade* coarctatam, ad liquidum perduceremus, atque ſic ex τῶ חֲצֹצְרָה *clariſſimum* illius *Flexionis* præberemus *ſpecimen*, quæ ex amuſſi *Arabum* احضوضر reſpondens, *unam* τῶν اوي *Hebraice* אוי, medium inter *geminatum* *Tſade* occupantem, *literam* repræſentabat. Sed ubi jam locorum *Lingua* recepit, ut ſecundum *ſuperius monitum*, י *Jod* inſeratur, indeque פִּקּוֹקֵד &

פְּקַקַד à פקד, חֲצוֹצַר & חֲצִיצַר à חצר · עֲוִיל & עֲוִיל à עול, *&c.&c.* promiscue efferetur. Non dixeris, rationem *Linguæ* id non tulisse, qui quid *Literæ Quiescentes* sint, & quid speciatim *iis* ex *Dialecto* insideat, exploratum tenes. Ego *Arabicis Exemplis* in præsenti destituor. Præsto interim est, haud pervagatum & singulare aliquid spirans *Hebræorum* יְפֵיפִיתָ *Psal.* XLV: 3. Hoc *suam*, tum *formationis*, tum *potestatis*, Themati יָפָה *pulcher fuit*, debere *Originem*, atque *duplicationem Radicalium* eam habere emphasin, ut *significatum* intendat & quasi corroboret, nemo non agnoscit, nemo non inculcat. Concedo quicquid contenditur. Sed quisnam *Character* erit veritatis? Et unde, nos *vera* pronunciasse, cognoscetur? Quid enim fieret, si *celebris Judæorum Magister Aben Esra* clamaret, *geminationem Radicalium minuendæ notionis gratia* institutam esse, adeoque τὸ יפיפית non *admodum pulcher es*, sed *aliquo modo pulcher es*, proprie sonare ingereret. Certè plus vice simplici *idem Rabbinus* fidenter ingessit, ירקרק à ירק non *valde flavum*, sed *aliquo modo flavum*, item אדמדם ab אדם non *valde* & *omnino rubrum*, sed *aliquo modo rubrum* designare. Ipsa ergo *pondera rerum* studiosius sunt pensitanda, atque in *rationem illius*,

lius, quam loquuntur, *duplicationis Literarum* intimius penetrandum, ut inde, ubi pedem figere, tutoque possis acquiescere, limpidius derivemus. Plerique *veterum* & *novorum Grammaticorum*, *Pagninus*, *Isaacus*, *Wasmuthus*, *Altingius*, *Hulewiczius*, alii, existimant, τὸ יְפֵיפִית sistere nobis *auctiorem* quandam per *repetitionem duarum priorum radicalium literarum effictam formam*, quæ pro simpliciori יָפִית à יָפָה in 2. *sing. masc. Præt. Pybbal* יָפְיָפִית à יָפְיָפָה exhibuerit, *seque* sic, per (ׇ) *Kamets Chatuph* priori י *Jod Rad.* subjectum, clare satis à יָפָה & *auctiori* יָפְיָפָה *Conjugationis Pibbel* dignosci voluerit. Unde *Erud. Danzius*, *Cap.* III. *Interp. Ebræo-Chald.* §. 92. adductis hisce quatuor *Es.* XVII: 11. תְּשַׂגְשֵׂגִי *admodum cresces*; *Nah.* II: 11. חַלְחָלָה בְּכָל־מָתְנַיִם *dolor vehementissimus* in totis lumbis, *Ezech.* XVII: 5. צַפְצָפָה שָׂמוֹ *circumspectione accuratissima* posuit illud, *Psalm.* XLV. 3. יָפְיָפִיתָ *valdè pulcer effectus es*, scribebat: *Quæ præter analogiam consuetam duas priores radicales geminant, significationem augent.* Distinctius scripsisset: *Conjugationes Pibbel & Pybbal Radicum tertia radicali quiescentium*, quæ *geminationem literarum* admi-

ſere, ac proin שׁנה & שׁנשׁן à שׁנה, חלה & חלחל à חלה, צפה & צפצף à צפה, יפה & יפיף à יפה ex æquo protulere, *ſignificationem* intendunt. Sic *vulgo* judicatur. Atqui *omnia illa*, quæ in *Pihhel* & *Pyhhal* literarum *duplicationem* adhamant, non à *Verbis quieſcentibus tertia*, ſed tantum, vel à *quieſcentibus media*, vel à *deficientibus tertia*, prognaſcuntur. Utrumque, per צלצל à צלל, רפרף à רפף, סלסל à סלל, טלטל à טול, שׁעשׁע à שׁוע, צעצע à צוע, aliaque compluſcula, ſuperius jam aliquoties inſinuatum deprehendes. Nec dubium, quin *eadem Linguæ analogia* in *tribus*, ad τὸ יפיפית firmandum, laudatis *Exemplis*, locum habeat. Primum erat תשׂגשׂגי, quod a *ſing. fœm. Fut. Pihhel* non à שָׂנָא vel שָׂנָה ſed à שׂוּג in *Dialectis* inveniendo conſervans, redderem: *admodum invaleſces, & eximiam firmitatem acquires*. Senſus, quem *ſeries Orationis* ſuggerit, eſt: *eo die, quo vitem tuam, virgultum tuum, quod plantaveris, magnum accipiet robur ac incrementum*. Alterum repræſentabat חלחלה *dolor vehementiſſimus*. Unde? à חָלַל *ſolvit*, ſi bene ad calculos ſedeo; cujus

חלחלה

חלחלה *maximam solutionem*, debilitationem, infirmitatem, fractionem, *universitatem amborum lumborum* obsidentem inferret. Uno verbô extuleris: *Elumbis* sive *elumbus*, hoc est, qui præ lumbi debilitate, *soluto nervo*, erigere se non valet. Posset etiam à חול *doluit*, ad *versionem receptam* retinendam, derivari. Id *Cl. Drusio*, aliisque arridebat. *Prius* tamen, & *fortius*, & *diritati* phrasium mox positarum

בוקה ומבוקה ומבלקה ולב נמס ופיק ברכים

magis *respondens*, autumem. Sed quid faciemus cum tertio צפצפה? Constructio obscura, per ignoratam *hujus Vocabuli* potentiam, multo adhuc evadit obscurior. *Versio vulgaris*, quæ ad צָפָה *circumspicere* respicit, valde languet: *circumspectissime* posuit. Viridius forte *Illustris Grotius*. صفصاف *Arabibus*, inquit, *& Chaldæis* צפצפה *est* Salicis *genus*. *Hinc sensus esset: posuit quasi salices.* Potius: *sicut, ad instar Salicis*, subaudito כ *similitudinis*, quod *Præstant*. *Vatablo* placuit. Utrumque bene. Nam *Salices* humente loco gaudere, & multas aquas impense amare, *Sagacissimus naturæ ruspator Plinius* enarrat.

§. XIV. Cernis, *hæc*, aliaque haud absimilia, pro *Conjug. Pyhbal* nostri à יפח tracti *Vo-*

cabuli יְפֵיפִית nihil facere, ſed contra inſinuare, limpidius aliquid ac magis *Analogiæ Grammaticæ* conſonum, eſſe circumſpiciendum. Tale quidem diu quæſitum, ſed nondum inventum. *Meditamentum* utique *Diligent. Geieri*, quod, ob *vocalem* (ֵ) *Kamets* ſub altero י Jod reſidentem, *binas Conjugationes*, videlicet *Kal* יָפִית & *Pyhbal* יָפֵית produxerat, atque pereuntibus ultimis duabus literulis ית τῶ *Pyhbal*, in unum יְפֵיפִית conflaverat, *nihil* eſt, & ineluctabiles prodit anguſtias. Quid? *Dageſch forte*, neceſſarius *Conjug. Pyhbal* indiculus, ne ſic quidem religioſe cuſtoditur. Obſervavit *id*, meritoque *ſententiæ* objecit, *Vener.* & *Clariſſ. Weſſelius noſter*, in *Diſſert. ſing.* ad *h. l.* duplicatum potius *Kal*, vel compoſitum ex *verbo* in *Kal* יָפִית & *nomine* adjectivo יָפֶה *pulcher*, aut ſubſtantivo יְפִי *pulchritudo*, τὸ יפיפית eſſe, felici acumine ratus. Sic idem, atque *hocce* LXX *Seniorum* ὡραῖος κάλλει, & *Aquilæ* κάλλει ἐκαλλωπίσθης, & *Symmachi* κάλλει καλὸς εἶ, procul dubio foret. Commodus ſenſus. Nec incommodior *Etymi* ratio. Niſi quis (ְ) *Scheva* ex יְפִי aut (ָ) *Kamets* ex יָפֶה in (ָ) *Kamets Chatuph* mutatum, paulo

lo incommodius censuerit. Rectene autem, an secus, aliorum esto judicium. Tu sana interim & sincera habebis omnia, si *formationem* פקוקדת τῷ פקוקד à פקד huc advocaveris, atque nostrum יפיפית 2 *Sing. Masc. Præteriti* יפיפת *Radicis* יָפָה secundum *eandem* refinxeris. Proprie esset יַפְיָפָה يَفْيَفَيَ quod primùm, *Diphtongo* repudiato, יַפִּיפָה ac deinceps, ad faciliorem suavioremque sonum adhamandum, τῷ י *Jod* ex *quiete* in *motum* misso, יְפֵיפָה pronunciatum fuisse, haud difficulter mihi accredas. At unde (ָ) *Kamets Chatuph?* Dicam. Non est *Activum*, sed *Passivum*. Quod proinde, in certissimum *Passivæ formæ* indicium, non manere amplius יְפֵיפָה sed sua sponte, pro *peculiari Linguæ indole*, in يُفَيْفِي hoc est יָפְיָפָה vel יָפְיָפְה migrare, iis, qui *dulcedinem Literaturæ Arabicæ* extremis saltem perceperunt labiis, ignotum esse non potest. Schema esto.

Singularis.

Fœm.		*Masc.*	
יְפֵיפְתָה		יְפֵיפָה	*Pers.* 3.
יְפֵיפִית		יְפֵיפִית	—— 2.
	יְפֵיפִיתִי		—— 1.

Pluralis.

	יְפֵיפוּ		*Pers.* 3.
יְפֵיפִיתֶן		יְפֵיפִיתֶם	—— 2.
	יְפֵיפִינוּ		—— 1.

§. XV. Quicquid sit. Si placeat, *causæ communi* omnium *Interpretum* nihil inde decesserit, qui *gradum superlativum* unanimi *ei* attribuerant consensu. Nihil verius. *Conjugatio*, cujus character *mediam radicalem*, interpositâ una τῶν אוי literulâ, *geminatam* præfert, *significationem* suæ *Radicis* intendit fortiter & quasi duplicat. Exemplo sint اخشوشن *valde asper existit*, à خشن *asper fuit*, & اخضوضر *perquam fuit viridis*, à خضر *viruit*. Lucem

cem addat اشروريب *mirum in modum commotus fuit* ac *vacillavit*, à شرا *commovit & tremuit*. Item احدودب *dorso altissimo gibbosus fuit*, à حدب *altus fuit*. Porro اعصوصب *maxime invaluit & vehemens fuit*, à عصب *strinxit*. Nec abit اخلولق *valde æquabilis & perquam fuit lævis*, à خلق *lævis extitit*. Conspirat quoque اخضوضع *admodum humilis ac valde depressus fuit*, à خضع *humilis fuit*. Eadem vis ex اعروريب *plane nudus*, h. e. solus, *terram peragravit*, imo ex فرس معروري *equus ephippio destitutus*, proprie *nudus*, à عري *nudus fuit*, traluceat. Non itaque *mera* amplius *Conjectura*, sed *Veritas eximia*, quæ יפיפית per *Tu excellentissime pulcher es*, sive *pulcherrimus existis*, solide declaraverat. Ipsa etiam *Constructio* יָפְיָפִיתָ מִבְּנֵי אָדָם huc vocat. Perpende *eam*, & ne minima dubitationis umbra remanebit.

§. XVI. Eant nunc *Viri Graves*, & ad omne ex *Dialectis Orientalibus* illatum lumen oculos claudant. Eant, & *omnem* omnino *Linguæ Hebrææ verbalem flexionem* intra *Septenarium*,

narium, vel verius, *quaternarium* cogant *numerum*, pugnantiusque contendant, *omnia derivata nominalia*, suo se splendore, Solis ad instar, secundum *eundem* aperire. Mihi sane, nisi ex *Arabia* radiolus alluxisset, nunquam *certi quicquam* de חצוצרה, item de מחצצרים, immo de מחצררים, me habiturum fuisse, profiteor. Hic primùm vidi, *pluriliterum* יפיפית *formæ* esse *Passivæ* τῦ יפיפה *Thematis* יפה *pulcher fuit*, & sua in origine, *summe pulchrum* ac *formosum*, sonare. Fundamentum, quod nemo unquam labefactare aut convellere sustinebit. Sed non labar longius, *Orationemque* meam *eo* revocabo, unde *huc* declinavit. In eo eramus, ut medicinam faceremus τῷ עזאזל *Azazeli*, cujus vel *acumen*, vel *veram emphasin*, ignoratio *illius*, quod loquimur, *arcani* delerat. Jam autem, ad *idem illud* rite ac recte expediendum, *nulla* prorsus opus *compositione*. Quod enim in חצוצר *media* ו *vaw* à חצר, item in יפיפה *media* י *Jod* à יפה jure admissum, cur eodem jure admitti non potuerit in עזאזל *media* א *Aleph* à עזל non facile dabitis. Integra saltim *Vocabulorum quinqueliterorum* sylva, superius adducta, atque per بزازل, בזאזל à بزل בזל,

בול, per ذارج דראג à ذرج דרג, per خطاطف חטאטף à خطف חטף, per عجاجل עגאגל à عخل עגל, per خنانص חנאנץ à خنص חנץ, per زقاقع זקאקע à زقع זקע, &c. &c. &c. instructa, idem evicerit. Magnam veri partem hîc perspexerat *Erud. Bochartus.* Sed attingere non potuit *illud*, in quo *Nominis* indoles, & nativa suavitas, sita fuit. *Forma* à *præterito* עֲזָאזֵל idem atque עֲזָזֵל & עֲזָזֵל *Thematis* עַזַל transumta, non *Pluralem numerum*, sed *Singularem* sua in origine continet. Quod si quis non admiserit, etiam ut شجوجب pro *Viro longipede*, item חצוצרה pro *Tuba*, non admittat *singulariter*, necessum habet. Nam similium similis est ratio.

§. XVII. Expeditis paulo operosius *iis* atque elucidatis, quibus multa suberat obscuritas, *cetera* levi brachio profligata dabimus & confecta. *Potentia* itaque *ac interior natura*, quam *Thema* עזל suo *Derivato quinquelitero* עֲזָאזֵל naturaliter inseminaverat, nunc rite succedat. Hæc inculcabat, τὸ עזאזל esse χωρισμοὺς vel

αἰν-

ἀναχωρήσεις, id est, *separationes* aut *recessus* & *secessus*, adeoque *Phrasin* שעיר לעזאזל sonare *Hircum* πρὸς χωρισμοὺς vel πρὸς ἀναχωρήσεις, id est, *Hircum ad id destinatum, ut ad loca deserti remota* & *à grege separata deducatur.* Dicere maluissem: *ut ad locum deserti remotum* & *à grege separatum deducatur.* Cum enim עזאזל *Numeri* non sit *Pluralis*, sed *Singularis*, per se liquet, non *Pluraliter*, sed *Singulariter*, idem illud exponi debere. Id ipsum voluerat *Liter. Relandus*, qui *loc.* supra *cit.* scribit: *Alter duorum hircorum piacularium forte* לשם Deo *erat designatus, alter* לעזאזל لـعـزازل secessioni, ἀποπομπαῖος, *& in deserta mittendus.* Verum, ne sic quidem omnia liquida ac defœcata. *Magni* enim *Theologi* existimant, *Bochartum nostrum*, per עזאזל h. e. χωρισμός vel ἀναχώρησις, nihil aliud, quàm *ipsam* Hirci *secessionem*, atque *ejusdem* in *desertum* missionem, intellexisse. Sed fallunt & falluntur. Non dubitabis, ubi *Præfationem Hieroz. Sac: præfixam* evolveris. Invenias ibi ὡς ἐν συνόψει adfirmatum, *Vocab.* עזאזל *Plurale Arabicum* esse, quo *Remota loca* significentur, *ad quæ deductus hircus à grege seponebatur.* Atque hinc est, quod *Sal. Deylingius*, qui *Locum certum* nomine עזאזל

Aza-

Azazelis conspicuum indigitarat, atque *ex inviis obscurisque Arabiæ Petrææ desertis* huc intulerat, *suam Conjecturam cum Bocharto fere consentire*, diffiteri noluerit.

§. XVIII. Vocabulum ergo עזאזל *Azazel* non est *ipsa Hirci Piacularis in desertum emissio*, sed *Locus in deserto limitibus suis circumscriptus*, ad quem *idem Hircus Piacularis* amandari *vivus* & asportari debuerit. Ad literam sonaret: *Sejunctissimum* atque *ab omni hominum*, quin *aliarum sub nullo Religionis vinculo se tenentium bestiarum*, *ulteriori aditu*, sepimento vel alio limite *refectum*, maximeque *disclusum* ac quasi *subductissimum terminum*. Elegans *Verbi* usus apud *Abu Ismaelem*, in *Carm.* ℣. 31.

فان جنحت اليها فاتخذ نفقا

في الارض او سلما في الجو فاعتزل

Quod si ad eam inclinaveris, sumito tibi specum

In terra, aut scalam in aere, & התעזל *subduc te* (à consortio hominum reseca te ac separa, ut ibidem delitescas)

Cave, *locum profanum*, ac *promiscuo usui expositum*, nos cogitare putes; Non usque adeo obtusa gestamus pectora. *Religiosum*, *solennissimæque* huic *Ceremoniæ* unice *consecratum* intelligo

ligo; intra cujus ambitum, *victima illa Piacularis*, libertati suæ *vindicata* & à nullo unquam homine *tangenda*, relinquebatur *viva*, ut in *herbis*, *frugibus*, *fructibusve* τῦ המדבר, hoc est, *campestris regionis* ac *pascuæ terræ*, ubi *noster* à profanis pedibus *seclusus*, ac titulo עזאזל *Azazelis* salutatus, cernebatur *locus*, sese ulterius *libere pasceret*, sicque *vitam* suam commode *sustentaret*. Quod si curatius paulo *Ingeniosissimus Spencerus* tenuisset, *sensum frigidum & à majestate Legis alienum*, in τῷ עזאזל à עזל deducto, nunquam sensisset, neque unquam *calamo suo* excidere passus fuisset: *Vocis notatiò Bocharti calculo honestata*, *sensum frigidum & à majestate Legis alienum nonnunquam inferet*. *Præceptum est enim vers.* 10. *ut* hircus in quem cecidit sors ad *Azazel*, dimittatur לעזאזל המדברה ad *azazelem* in desertum: *hac autem in lege*, *si* azazel, *ad mentem Bocharti*, *per* χωρισμὺς, recessus *aut* separationes *interpretemur*; *vox* המדברה, *vel* azazel, *otiosa futura est & tautologiam inferet*; *cùm solitudines omnes* χωρισμοὶ *sint*, *h. e.* recessus, *aut loci ab hominum usu vel frequentiâ separati*. Nam עזאזל non est idem, atque המדבר, sed במדבר sive *in campo pascuoso*, ubi scilicet greges libere pascuntur, *Sacro-*

San-

sancta quædam, suisque cancellis limitata portio. Hæc *Vers.* 22. אֶרֶץ גְּזֵרָה *Terra resectionis*, hoc est, *eximia quædam* agri ejusdem campestris *pars*, ab *usu promiscuo resecta*, ac ipsi huic sanctissimo destinata, ἐξηγητικῶς appellatur. *Græce* ἀπὸ τοῦ τέμνειν diceres τέμενος, id est, τόπος ἱερὸς, εἰς τιμὴν ἀποτετμημένος; quemadmodum *Didymus*, *Vetus Scholiastes*, ad *Hom. Iliad.* VIII. ℣. 48. interpretatur: Intellige sis: Ἱερὸν χωρίον ἀφωρισμένον Θεῷ κατὰ τιμήν; Cui Sacra similiter Animalia, Ζῶα ἄφετα, vel Θηρία ἄνετα nuncupata, in honorem Numinis alicujus, inclusa fuisse, ut sub nexu Religionis, sanctissime in *eo* custodirentur, liberoque pastu gauderent, *Principes Virorum*, ex *Luciano*, *Plutarcho*, aliisque *veteris ævi Scriptoribus*, jam dudum monuere.

CAP. XIX. *Vers.* 18.

לֹא תִקֹּם וְלֹא תִטֹּר אֶת־בְּנֵי עַמֶּךָ

§. I.

Emphaticus non minus, quam jucundus usus, qui *verbo Hebræorum* נָטַר in *vindictæ cupiditate* & *memoria illatæ injuriæ*, plus vice simplici contrito, adsignatur, ac per μνησικακεῖν, ran-

rancorem servare, *iramque alta mente repostam tenere*, à præstantissimis *Lexicorum* conditoribus, judiciose simul & solide declaratur. *Oculus* tamen *vigil*, speculans & occasionem captans, ad *istum in corde repositum rancorem*, in suum subjectum commodo tempore *effundendum*, non potest, non debet *hinc* exulare. *Thema* utique נטר quod in propria sua idea *Inspicere* ac *oculo intento tueri* valet, ac propterea in *Arabum* ore, partim τῷ نَطَرَ *custodem & observatorem egit*, partim τῷ نَظَرَ *vidit*, *adspexit*, *oculosque convertit ad aliquid*, amicissime respondet, non in *Corde* tantum *rancore suffusa*, verum etiam in *Oculo vigili* ac *vindice*, antiquitùs fuisse frequentatum, quotidianaque consuetudine usurpatum, non est, quod dubitemus. Ex *Derivatis* נטור نطور *qui attentius respexit ad eum, quem suspectum habet*, & נטרה نظرة, i. q. عين الجن *oculus* seu *malignus Dæmonum adspectus*, &c. &c. hoc clare satis reluceat. Idem ex *Chaldæorum* נטירה *vindicta*, nec non ex *Syrorum* ܢܛܪ *insidiatus fuit*, sponte animadvertet *Linguarum peritus*, & vel ex *Latinorum* sub *Tueri* recepta *Linguæ* copia, nullo negotio

gotio enodabit. *Metaphora* videtur à *Jaculatore* desumta, qui *oculo intento* suum, quem ferire conatur, observat *scopum*. Talis מַטָּרָה *Job*. XVI. 12. 1 *Sam*. II. 20. & מַטָּרָא *Thren*. III. 12. vocabatur. Plene מִנְטָרָה & מִנְטָרָא scriberes. Formam *priorem* conservarunt *Arabes*, eique potentiam *Speculæ*, quæ *ipsorum* in *Dialecto*, & مَنْظَرَةٌ & مَنْطَرَةٌ promiscue audit, speciatim innexuerunt. *Appellationis* ratio *utriusque notionis* nemini non cognita. *Posterius* sonat *Locum*, è quo facilis & late patens datur prospectus. *Prius* à *videndo* & *oculo* ناظر *observatore* & ناطر *speculatore inspiciendo*, nomen trahens, *Locum*, qui à *jaculatore* vel *sagittario* in collimando *observatur*, proprie exprimeret. Geminum atque gemellum in Latino *Scopus*, quod est *Græcorum* Σκοπὸς, deprehendas, ubi *illud*, non cum *Vegetio*, à *scopis*, hoc est, fasce fruticum & straminum, quem pro *signo* ponere solebant funditores, sed cum *Vossio*, ἀπὸ τοῦ σκέπτομαι, deduxeris. *Nam ad scopum*, inquit, *collimat sagittarius*. Περιφράζει *Persius*, *Sat*. III. ℣. 60.

Est aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcum?

§. II. Haud difficulter ergo concedes mihi, geminam hancce *Servandi* sub *Themate nostro* נטר assumtam imaginem, in *Corde* scilicet *acerbitatem* ac *æruginem fovente*, & in *Oculo vindictæ* aut *ultionis occasionem captante*, jucundissimam *Judicioso Interpreti* ministrare lucem, per tres quatuorve illos *Sacræ Scripturæ* locos, in quibus *eadem Radix*, singulari cum gratia fuit adhibita. Talis est *Nah.* I. 2. הוא לאיביו נקם יהוה לצריו, ונטר *Ultor est Jehova in hostes suos*, & *asservat iram in inimicos suos*. Sic vulgo datur. Alii volunt: *Ultor est hostibus suis*, & *servans inimicis suis*. Id, cum *potestate* τὸ ל utrobique positi, paululum conjunctius, autumem. Proinde *Drusius*, ad *h. l.* Servare *quandoque antiqui sine ulla adjectione dicebant*, *cùm* iram *subintelligerent*, *aut* memoriam injuriarum, *aut aliquid tale*. Servantem *quoque aut* Servatorem *absolutè vocabant*, *qui animum iratum diu retinet*, *nec memoriam injuriarum citò aut facilè deponit*. Bene; modo *conspectus* alter, *cupiditatem vindictæ* in *Oculo residentem*, quæ *commodam ulciscendi occasionem avide captat* & undique *speculatur*, suggerens, non plane negligatur. Crescet utique sententia, ubi substitueris: *Puniens est Jehova hostes suos* & *servans ipse*, animo irato & oculo vindice, *inimicos suos*. Vocabulum צָר *hostis*, proprie est *angustans*, qui aliquem *cogit in arctum*

& angustiis affecit. Τὸ אֹיֵב *inimicus* autem, ex Origine sua sistit *petentem*. Nam אֹיֵב *Arabice* أَوَبَ *inimicatus fuit*, *hostiliter egit*, primariò est *Petere*, Ὁρμᾶν *Græcorum*; Quod, an facili meatu, ad *inimicitiam* & *hostilitatem*, secundario in usu, transferri potuerit, nec ne? qui modo *idem illud* ex Latinorum *Petere* hauserunt, haud disputabunt. *Metaphora* translata à *Gladiatoribus*, qui, *se invicem petere*, dicebantur. Unde & *verbum* reputatur *Gladiatorum*; Ita tamen, ut *telis aliquem petere*, immo *scopum petere*, rite simul dicatur. Id si arriserit, cave prætereat, nativa *Phraseos nostræ* נטר לאיבים venustas, nunc ex eruta *ejusdem* Origine sua sponte lucescens, atque omnium animis suavissime insinuans: *Deum ipsum* existere *observatorem*, hoc est, jaculatorem omnium *illorum*, qui *Eum* pro *scopo* ponunt, & *sagittarii* ad instar *petere* gestiunt. Multum quoque interioris elegantiæ residet *Ps.* CIII. 9. לא־לנצח יריב ולא לעולם יטור *non litigabit in perpetuum*, *neque in æternum* alta mente repostum *servabit*. Prius ריב *mollius* quid dicere, quam נטר & contra נטר *fortius* esse τῷ ריב intimam *Linguæ* naturam pertentans, statim, credo, sentiet.

§. III. Mitto reliqua, nullo negotio ad suam jam revocanda lucem. Et moneo duntaxat, *Cl. Coccejum*, plus minusve, *nostrum* ad-

huc sub manibus *sudans* לא-נטר את־בני עמך per *particulam* את *conjunctive* declaratam, enervasse: *non observabis*, h. e. *ὀ μνησικακήσεις*, *cum popularibus tuis.* Præiverat quidem *Pagninus*; sed admodum fluctuanter: *non reservabis* iram sive ultionem *filiis*, aut *cum filiis populi tui.* Prius unice teneri debet, utpote *scopo Legislatoris* multo congruentissimum. Unde *Versio Junio-Tremelliana* sistebat; *neque* iram *asservato in populares tuos.* Nec alia potest esse mens *Hieronymi*, cujus circumfertur; *nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Quid? *Arabs Erpenianus* geminum germanum inculcat. Evolvens *locum*, inveniet لاتحفظ عداوة لاولاد قومك *non reservabis inimicitiam filiis populi tui.* Floridius omnium *Arabs Waltonianus*, qui posteritati relinquerat لا تحقد علي قومك *non animo fovebis odium*, sive *ultionem ad opportunum tempus pectore occultatam reservabis*, *contra populum tuum.* Prætulerim tamen, si directe struatur: *Non servabis* oculo scilicet & corde *filios populi tui.* Intelligo *Exacerbationis*, quam *in charitatem cadere posse*, negat *Gentium Apostolus Paulus* 1 *Cor.* XIII. *duos amarulentos motus*, *affectusve acerbissimos.* Alter, qui ex *alto cordis* emergit, seque potenter toti suffundit menti, postquam bulliens, ad instar ollæ effervescentis, ira desæviit, *Rancor* est. Alter qui *totum* occupat *oculum*, ipsumque pro *observatore* ac

spe-

speculatore in altissimo loco constituto usurpat, *Vindictæ cupiditas* appellatur. Neutrum a se invicem divelli potest. Quicquid enim *manet alta mente repostum*, tamdiu stimulat, seque ipsum irritat & magis ac magis exacerbat, donec sibi plene planeque satisfactum fuerit. Utrumque in *Verbi* נטר *interiori natura* comprehensum, eleganterque *nostro* in *Commate* τῷ תטר subjectum, tum *præcedentibus* לא תקם tum *sequentibus* ואהבת לרעך כמוך ex amussi respondere, nunc exequi haud vacat, neque est, ut quemquam in re liquida hæsurum esse subverear.

FINIS.



INDEX

LOCORUM SCRIPTURÆ quibus nonnihil lucis opera nostra accedit.

GENESIS.

CAP.

CAP. XXV. 29. Et יזד *decoxit* ex Kal, ex Hiphhyl autem, *cum fervore intumescere fecit* Jacobus נזיד *jusculum*, id sc. quod ex ערשים *lentibus* per ebullitionem coquebatur, vel *iisdem* saltim *immissis* decoquebatur. p. 24

CAP. XXVII. Venare mihi צידה *Venationem optimam, multisque aliis præferendam*; τῷ ה *Vocab.* צידה non redundante, juxta *Masorethas*, sed *majorem emphasin* afferente, *significationemque* intendente. p. 31. & sq.

CAP. XXXI. 34. Et sumsit Rachel Teraphim, & posuit eos בכר הגמל *in Sella Camelina*, cui sc. sequior præcipue sexus, una cum sua sibi parvulorum molli & tenera adhuc turba, in itineribus sese inclusam tenere solebat. p. 161

CAP. XXXVII. 36. Et Medanæi vendiderunt Josephum in Ægypto Potiphari סרים *Viro aulico* Pharaonis, שר הטבחים *Principi satellitum*, belli & pacis tempore in *sontes* animadvertentium, *damnatosque* capitali supplicio afficientium. p. 38. & seq.

CAP. XLIX. 22. Filius פרת *findentis vitis* est Joseph, filius פרת *findentis vitis* ad aquam positus, בנות צעדה עלי־שור

EXODUS.

LEVITICUS.

DEU-

DEUTERONOMIUM.

JUDICUM.

2. SAMUELIS,

1. REGUM.

su-

2. REGUM.

1. CHRONICORUM.

2. CHRONICORUM.

JOBUS.

PSALMI.

arcte admodum injunxisti Præcepta tua Moralia, ut valde custodiantur. p. 228. & seq.

CAP. CXIX. 73. Manus tuæ עשוני *fecerunt me, per Conceptionem; in Ventre*, & יכוננוני *obtexerunt me, per Secundinarum involutionem, in Utero.* p. 194. 195.

CAP. CXXIV. 5. Tunc עבר *transierunt fluminis ad instar altius sese efferentis* animas nostras המים הזידונים *aquæ intumescentes, æstuque interno furentes.* p. 21

CAP. CXXXIX. 15. Non absconditum fuit corpus, *sive* substantia mea à te, אשר עשיתי בסתר *quando factus sum in Ovario*; loco obscurissimo, ac velo quasi undiquaque tecto. p. 189

PROVERBIA.

CAP. III. 26. Nam Jehova erit בכסלך *utique fiducia tua.* p. 75

INDEX

ECCLESIASTES.

ESAIAS.

EZECHIEL.

MICHAS.

NAHUM.

Cap.

LEVITICUS.

DEU-

DEUTERONOMIUM.

JUDICUM.

2. SA-

2. SAMUELIS,

1. REGUM.

ſu-

Conjugatione חצרר regulariter derivata, adeoque secundum *Keri* non מחצרים legenda. p. 256

JOBUS.

CAP. IV. 19. Habitatores domuum luti, אשר בעפר יסודם *quorum in pulvere est fundamentum eorum*; id est: nil nisi merus pulvis. p. 84

CAP. XXXI. 15. Annon בבטן *in Ventre, conceptionis loco*, faciens me, fecit eum? & יכוננו ברחם *obtexit nos, involucro Secundinarum mediante, in Utero* unus? p. 182—194

PSALMI.

CAP. V. 9. הושר ex genio Linguæ non erat mutandum in הישר quod *Margini* adscribitur. p. 12

CAP. IX. 1. למנצח על־מות לבן מזמור לדוד per *Accentum Rhebia Gereschatum* לבן adhærentem, in *duo* majora *membra* dividitur. p. 226

CAP. XXI. 1. למנצח מזמור לדוד non *duas* in *partes* sese dividi patitur, nisi per *Rhebia Gereschatum*, qui *Vocab*,

arcte admodum injunxisti Præcepta tua Moralia, ut valde custodiantur. p. 228. & seq.

CAP. CXIX. 73. Manus tuæ עשוני *fecerunt me, per Conceptionem*; *in Ventre*, & יכוננוני *obtexerunt me, per Secundinarum involutionem, in Utero.* p. 194. 195.

CAP. CXXIV. 5. Tunc עבר *transierunt fluminis ad instar altius sese efferentis* animas nostras המים הזידונים *aquæ intumescentes, æstuque interno furentes.* p. 21

CAP. CXXXIX. 15. Non absconditum fuit corpus, *sive* substantia mea à te, אשר עשיתי בסתר *quando factus fum in Ovario*; loco obscurissimo, ac velo quasi undiquaque tecto. p. 189

PROVERBIA.

CAP. III. 26. Nam Jehova erit בכסלך *utique fiducia tua.* p. 75

ECCLESIASTES.

ESAIAS.

lorum, ipſe ille Deus, formamator terræ & opifex ejus, הוא כוננה *ipſe Tegens, cuſtodiens eam.* p. 179

Cap. XLVI. 3. Auſcultate mihi domus Jacobi, totumque reſiduum domus Iſraelis, העמסים מני־בטן הנשאים מני־רחם *qui bajulamini inde à Ventre, qui geſtamini inde ab Utero.* p. 190

Cap. LVI. 3. Ne dicat הסרים *Eunuchus, Spado*, ecce, ego ſum lignum aridum. p. 35

JEREMIAS.

Cap. V. 10. Aſcendite בשרותיה *Ordines vineæ*, ac deſtruite &c. amovete נטישותיה *Palmites ejus libere luxuriantes, ſeque* longe lateque *effundentes*; nam iſtæ non ſunt Jehovæ. p. 62. 63

Cap. XXXII. 1. בשנת העשרת ſcribendum eſſe בשנה העשירית à *Doctoribus Tiberienſium* ſine ſontica cauſa inculcatur. p. 45

Cap. XXXV. 6. Pater noſter צוה עלינו *In-*

EZECHIEL.

Cap.

CAP. XVII. 5. Acceptum ad aquas multas צפצפה *quasi Salices*, vel potius, *ad instar Salicis* posuit illud. p. 263

CAP. XLI. 18. Binæ facies erant cuique Cherubo; facies nempe humana juxta palmam ex hac parte, facies autem leonina juxta palmam ex illa parte; *reliquis duabus*, *bovina* scilicet & *aquilina*, *faciebus* ab ipsa parietis planitie interceptis. p. 135. 138

MICHAS.

CAP. I. 5. מי *Quisnam est auctor* sceleris Jacobi? annon Samaria; & מי *Quinam sunt auctores* excelsorum Jehudæ? annon Jerusalem. p. 73. 74


NAHUM.

CAP. I. 2. Puniens est Jehova לצריו *hostes*, angustatores *suos*, & נוטר הוא לאיביו *observans animo rancido*, *vigilique oculo*, *ipse inimicos*, petentes *suos*. p. 274

CAP. II. 11. Vacuitas *&c.* collisio genuum,

HABAKUKUS.

FINIS.



INDEX

Radicum, Vocum & Locutionum,

quæ ex

Orientali Lingua

proferuntur ac illustrantur.



ב

ג

ד

ד

ה

ו

commendavit, Originem ע׳ צוה *Jussit, praecepit*, ex solido restituit. p. 225. & seq.

וקד unde מוקד in notione *Ardendi*, cum יקד pari passu ambulat. p. 201. 202

ושר in *Hiphhyl* הושר æque extitit, quam ישר frequentius occurrens. p. 12

ותן idem quod יתן *Perennis fuit, jugi & inexhausta fluxit vena.* p. 122

ותין *Arab.* وَتِين *Vena* cordis, à *perennnitate* nomen trahens, *Themati* وتن secundariam *Lædendi in vena cordis* potestatem attribuit. p. 123

ז

זוח *Efferbuit cum tumore*, & *intumuit cum fervore*, proprie *aqua marina*. Metaphorice *tumescit* & *effervescit* animus, in strenua *facta, verbaque* contra alium *erumpere* gestiens. p. 17. 29

ח

חלחלה *Solutio maxima, debilitatio, summaque*

in-

טפף

טפף in *Creberrima pulsatione*, per ὀνοματοποιΐαν forte effecta, subque *Arabum* دف & طف nec non *Syrorum* ܛܦܦ diligenter custodita, proprium tenet locum. p. 101

י

יהוה *Jehova*, is qui *exiſtit* ab æterno, & in omnem æternitatem *exiſtet*, puncta aliquando τȣ̃ אלהים, aliquando τȣ̃ אדני sibi adpropriata circumfert. p. 88. & seq.

ילך הים *Abiit mare*, pro *detumuit*, *deferbuit*, suumque *redientem fluxum amiſit*. p. 125

יפיפה unde יפיפית à יפה significationem *Pulchritudinis* intendit, & pro peculiari *illius Conjugationis*, unde derivatur usu duplicat. p. 260—267

יצא *Exiit* ad *ſignatiſſimam* ex ingenti periculo *liberationem*, *libertatisque jucundiſſimæ fruitionem*. p. 13, 14

יצא מסורס *Egreſſus*, natus est, *contortus* sive *inverſus*, apud *Rabbinos*. p. 37

יקד idem quod וקד *Ardere, accendere ignem*. p. 201

ירח האיתנים *Menſis perenniſſimarum*, subintellige, *aquarum*, ad crebros, perennique vena præditos imbres non solum, verum

etiam

כוּר

כור quod *Arab.* كور & *Æthiop.* ከቍር ex æquo respondet; est *Catinus*, vel potius, *Fornax rotundior*. p. 159

כורה *Arabice* كورة *Civitas*, à *rotunditate*; Ut *Urbs* ab *orbe*, & Πολις à πόλος. p. 159

כיור. *Labrum*, ex origine τȣ̃ כור vel כיר *Vas rotundum*, inque *figuram orbicularem tornatum*. p. 158

כירים *dualiter* enunciatum, quid *proprie* fuerit, adhuc sub judice lis est. p. 159. & seq.

ככר primario *Massa panis*, in *orbem*, seu *circularem* in *formam convoluta*; secundario *omnis rei*, ut *Talenti*, *Regionis*, *certique Terræ alicujus tractus*, contrahitur ex ,כרכר *Thematis* .כור p. 166. 167

כן *Operculum*, *Tegmen*, ad Labrum æneum Tabernaculi Mosaici, ne *cinere* ac *pulvere* inquinaretur ipsius aqua, superne condendum. p. 168 — 182

כנן Radix *Hebræis* vindicanda, atque sub certissimo *Tegendi*, *condendi*, *cooperiendi*, quem *Arabum* كنّ studiose conservat, significatu, tàm *proprie*, quàm *improprie*, in Variis *Sacræ* & *Profanæ Scripturæ* locis, agnoscenda. p. 168 — 196

כסל *In lumbo fuit affectus*; metaph. *Torpuit*, *segnis* & *stolidus fuit*, à כסל *Lumbus*. p. 124

מה

סרך

סתר *Locus conceptionis*, puta *Ovarium*, vel potius *Ovum*, recondita naturæ officina, ejusque secretissimum claustrum. p. 186

ע

עבר *Transire*, in fluvio, *Intumescere*, agrosque circumjacentes *diluvio quodam inundare.* p. 7. & 21

עזאזל *Vocabulum simplex*, ex certissima Radicis עזל *Separavit*, *removit*, &c. Conjugatione, cujus Character, *Geminatio Mediæ Radicalis*, cum *inserta* aliqua τῶν אוי *literula*, fuit antiquitus: *Locus* במדבר *limitibus suis circumscriptus*, *ad quem Hircus Piacularis diei Expiationis amandari vivus & asportari debebat*, ut ibi sub sanctissimo *Religionis* nexu custodiretur, liberoque pastu gauderet. p. 232—273

עין *Fons*, in vineis, *Receptaculum aquarum*, ad quem *Vites* panguntur. p. 54

על *Superioritas*, h. e. *Suprema* cujusque rei *pars*. p. 63

על *Super*, debitum pœnæ graviter incumbens, nonnunquam infert. p. 29. & 127

עלה *Adscendere*, pro *Bellicam expeditionem*, animo, maris adinstar undosi, æstuante suscipere. p. 26

עצה στηρίζειν, vel στερεῖν; Unde עץ *Lignum*. p. 142

פ

צ

צאצאים *Germina*, cùm *Terræ*, tùm *Ventris*, proprie *Emicantia*, à צוא *Emicuit*; ut *Sing.* צאצא forma fit, ex *Pibbel* derivata. p. 143

צוה *Mandare*, *Præcipere*, ex *Origine sua* sub וצה وصى confervata, *Iungere*, *Injungere* finat. Unde צוה עלין *Injungere alicui* aliquid. p. 220—226

צוע *Arab.* صوغ Radix *Hebræis* attribuenda, *Conflare*, *formare*, *figurare*, *fingere*, fpeciatim, *Aurificinam exercere*. p. 149

צידה per ה *Emphaticum* à ציד auctum: *Venatio optima*, atque *egregia*. p. 31

צל *Umbra*, metaph. *Tutamen*, *validumque vitæ præfidium*. p. 81

צלם *Imago*, five *Primis quædam umbris & lineamentis expreffa fpecies*, directe ad *Hominem* fefe refert, qui vitam in hoc mundi theatro degens, nil nifi *Imago* huc illuc *oberrans*, fibi aliisque illudens, ac tandem in totum evanefcens. p. 83, 84

צער *Spaciari cum pompa*, ac *greffu fcandere magnifico*, eleganter de *Ramis tenuioribus* Vitis *libere luxuriantibus*, feque *in altum diffundentibus*. p. 58

רפרף

רפרף *Talmud.* & *Arab.* رفرف *Motitare alas*, est *Conj. Pibbel* τῦ רפף *Palpitare*. p. 3. 4.



שנג Radix *Hebræis* restituenda, ob solam formam τῦ *Pibbel* תשנשני *Admodum invalesces, eximiamque acquires firmitatem*. p. 262

שובעת *Arab.* سابغة absolute pro مشك سابغة *Lorica totum corpus operiens*. p. 40.

שר הטבחים *Princeps coquorum*, æque ac *Satellitum, munere Carnificis fungentium*. p. 40. & seq.

שרוך *Arab.* شراك *Corrigia calcei*, propagavit شرك *corrigiam ruptam habet calceus*. p. 124



שדי Nomen divinum *Dei omnisufficientissimi*, est forma, ex *Conj. Pibbel* שדה in Origine שדי *Irriguus fuit*, ac *uberi maduit vena*, unice deducenda. p. 85

שוב *Redire*, in aquis, *Confluere, intumescere, exuberare, erumpere in littus*. p. 126

שור *Murus domus*, vel *urbis*, speciatim *Vineæ*, qui Latinis *Pedamentum*, h. e. statumen ligneum alte erectum, cratiumque instar

 laxe

ת

FINIS.

IN-

INDICULUS
GRÆCO-LATINUS.

Petere,

FINIS.

LEGENDA.

Pag. 12. lin. 6. adde: Quid? contra omnem ſpem & exſpectationem τὸ אֲוַשֵּׁר *Eſai.* XLV. 2. *circulo* notatur, atque mirifico acumine, in אֲיַשֵּׁר reformatur; ac ſi *hoc* à *Rad.* יָשַׁר deductum, *notius* poſteritati futurum, quàm *illud*, quod ab *ignotiori* haud dubie וָשַׁר in *Fut. Pihhel* jam ab ultima usque memoria circumtulerat אֲוַשֵּׁר, תְּוַשְּׁרִי, תְּוַשֵּׁר, יְוַשֵּׁר &c. &c. &c.

Pag. 108. lin. 18. adde: *Litera quoque* ל Lamed *Vocabulis* אות *&* טוספת *præfixa*, *loco* כ Caph *Similitudinis adbibita fuit.*

Pag. 136. lin. 4. pro *intelligi*, lege *intelligo*.

Pap. 252. lin. 19. pro רָבַב lege רָבָה

Pag. 265. lin. 17. pro יְפֵיפָה lege יְפֵיפָה

Pag. 266. lin. 4. pro יְפֵיפִית lege יְפֵיפִית



TYPIS

WILHELMI DE GROOT.

LUGDUNI BATAVORUM.

M DCC XXXV.





